Publicæ Innocentiæ

MANIFESTUM
DEO MUNDO PATRIÆ

Per

Illustrissimum Dominum

D. GEORGIUM SEBASTIANUM

Comitem in Wisnicz & JaroslaW
LUBOMIRSKI

Supremum Regni Marschalcum & Campi Ducem

Generalem Minoris Poloniæ

Cracovien, Chmielnicen,

Nizynen, Olsztynen, Periaslavien, Kazimirien,

CAPITANEUM.

Bonoq; Publico

PORRECTUM

Anno Reparatæ Salutis M. DC. LXVI.

SI ſteterit teſtis Mendax contra Hominem accuſans eum prævaricationis ſtabunt ambo quorum cauſa eſt ante Dominum in conſpectu Sacerdotum & Judicum qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentisſimè perſcrutantes invenerint Falſum teſtem dixiſſe contra Fratrem ſuum Mendacium, reddent ei ſicut facere Fratri ſuo cogitavit & auferes Malum de Medio ſui, ut audientes cæteri timorem habeant & nequaquam talia audeant facere, non miſereberis ejus ſed Animam pro Anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede exiges.

Deuteronomii Capite 19.



Manifesti Publici

CAPUT I.

In quo Status Reipublicæ Polonæ oculis subjicitur atque is ex tribus Ordinibus, nimirùm REGE, SENATU ac NOBILITATE debitâ inter se symmetriâ connexis coalescere deducitur & Origo scriptionis explicatur.

REmpublicàm Polonam tres constituunt Ordines REX, SENATUS, NOBILITAS, quorum unusquisque à Jure definitas ac circumscriptas habet obligationes.

REX quemadmodum liberis eligitur suffragiis, ejusq; Potestas intra cancellos Juris defixa est, quemadmodum ad conservationem Jurium Religione præstiti Juramenti, adstringitur (hoc enim secluso dominari *GENTI LIBERÆ* nequiret) ita provideat oportet, ne vel minimo dictis Juribus deroget, sed æquali semper tractu, votis cujusvis Subditi annuens Justitiam administret, & virtutem Meritaque singulorum æquâ lance penset, & nec affectu abrept⁹, nec desiderio privati commodi incensus, nec malignis adulantium Vocibus obsecundans SIC IMPERIO PRÆSIT UT PROSIT. Compendio dicam, oportet ut ultra plana & aperta Legum, nihil sibi licere credat; ad earundem Legum normam, Actiones suas exigat, Patrem se Patriæ exhibeat, & tam illam quàm singulos ejusdem Filios, debitâ Charitate complexus, compagem hanc Reipub. ejusq; Integritatem stabiliat. Ita formârunt, seu veriùs firmârunt, Primum hunc Regiæ Majestatis Ordinem & Regnum Majores Nostri, & REX dummodo à bonitate non deficiscat, dummodo *Jura & Libertates* Juramento vallatas non violet, Potentiâq; & Factionibus Rempub. ac Subditos non prægravet, dummodo LIBERÆ GENTI sese imperare, & Libertatum

Rex Poloniæ nihil ultra præscriptum Legum potest quas jurat.

Felicitas unde. Conservatorem esse meminerit, ac demùm Saluti ac Bono Subditorum sincerè prospiciat, illorumque Amori securus incumbat, nihil illi ad Perfectæ felicitatis apicem, nihil ad securitatem, plenæque potestatis gloriam deesse possit. *Tutus enim in sinu uniuscujusq;* [quâ olim fortunâ Beatos se jactarant Reges Poloni] *coronatum Caput reclinabit Nobilis.*

Adjunctus REGI est *SENATUS.* Qui sicuti tenetur Jura & Libertates Reipub. sacrosanctè custodire, & ex nexu Juramenti, Senatores ad quid obligantur Adversantia quæque iisdem Libertatibus avertere, ita etiam, si quo casu Potentia Regia plus ultra elata præpõderaret, si cui Subditorũ Injuria fieret, si Jurium ac Libertatum, quas Princeps Jure jurando firmavit, convulsio immineret, *tenetur Principem Officii commonere seq; Medium Conatibus hisce interponere, & negligentem Juramenti Principem, aut ad inferendam cuipiam Injuriam intentum retrahere.* Habemus illorum temporum Exempla, quibus dum Senatoria hæc dicendi Libertas vigeret, Majestatis simul Regiæ Cultus ac Veneratio Patriæque ac Privatorum Integritas feliciter viguit.

Sequitur demùm *Equestris Ordo.* Atque is quemadmodum Equestris Ordo ad quid tenetur. omnes procudit & scripsit sibi aliisque *Leges, Libertates, Obligationes,* quemadmodum *Dominantibus* diademata ac sceptra liberè defert, è Medioq; sui Ministros Majestati ad ferenda Consilia subministrat, quemadmodũ fundat Rempub. ipsis Legibus recognoscentibus, *quòd potissima pars Regni sit Nobilitas*, ac eidem Reipub. in eaque Dominantibus tutissimum è Pectorum Dexterarumque suarum objectu satellitium præstat. Ita in casu quo la- Illius Decus summum xaretur compages hæc, nexæ suis gradibus Reipub. Libertatumq; ac Jurium Immutatio tentaretur; In casu quo absolutè Dominandi ambitus, altiùs quàm par est Destinata sua intenderet; Eidem Equestri Ordini incumbit, *Fortitudo & Defensio Legum.* Ejusdem Ordinis *Summa Prærogativa consistit in Voce Libera*, quæ sicuti libero calculo Principem eligit, libero assensu sancita probat; Ita citra ejùsdem *Liberæ Vocis* suffragium, nihil definiri ac concludi potest. Idem Ordo, quia superante multitudine in tantum effloruit, ut singuli publicis Consiliis interesse nequeant, delegare svevit è medio sui *Nuntios*, partim ad tutanda vetera, partim ad condenda nova Jura & Statuta, dictæ *Liberæ Vocis*, qualem ipsemet Unde olim habet Prærogativâ usurus.

Poloniæ Regnum floreus. Hoc tramite & ordine floruit semper Patria nostra, nec quisquam Libertate istâ asperatus eidem succensuit! Acquiescebant primùm

primùm in illa Principes & florente illâ optimè securitati suæ prospectum putabant, eamq; accuratiori quàm pupillam oculi diligentiâ observabant; Acquiescebant etiam Vicini ac Exteri: Namq; tota Libertatis hujus censebatur Maxima, Propriæ Integritati prospicere, cum Externis omnibus, inviolatâ fide & constantia Amicitiam colere, Nullius illorum statum impetere; Inde consequebatur affluentia Pacis, Ubertas fortunarum, eratque tunc Patria Membris omnibus aptè cohærentibus valida, nec ullâ Provinciarum abscissione trunca, videbat Subditos in Regimine Dominantium, plenâ animorum contentatione defixos, eidemque applaudentes. *Nunc quid in illo audiatur.*
Non audiebat oppressos Cives iniquæ damnationis Mala deplorantes. Sed quò rerum devenimus! Spectamus exutam hisce ornamentis Patriam! Immutatum ejus universum statum! Demota è suis fundamentis Jura ac Libertates! Gemunt privatim publiceq; oppressi Cives! Stupent Ordines, dum violatam Jurium juramento firmatorum sanctitatem, ac pænè impositum liberis cervicibus *A.D. 1664.*
Detestandæ Servitutis circumspiciunt Jugum. Quod Malum quia Me non infimum Patriæ hujus Civem, & primum ejusdem adflixit Officialem in præteritis Comitiis, Orbi jam toto patet tanta Oppressio Mea & in Me pessundatarum Injuria Libertatum.

Suspendebam equidem hactenus istud Meæ Innocentiæ Manifestum, illectus spe aliquando à Sacrâ Regiâ Majestate & Adversariis Meis recollectionis, & nolens (quemadmodũ totius Vitæ Meæ contextu egi) Publicam Patriæ convellere tranquillitatem; Verùm quandoquidem in irritum Mea recidit Modestia, & audet adhuc effrons, nulloque facinorum suorum tacta rubore insultare Malignitas, ac circummissis per Orbem scriptis jactare, Me culpâ Mea, ita exigentibus demeritis compressum ex æquo & justè, legitimè juridiceque convictum, ac servato Juris ordine sententiatum. Idcircò conscius Innocentiæ & intaminatæ semper Virtutis Meæ, super quam Defensionem hanc fundo ac superstruo, ut palam constet enormis læsio afflictæ Innocentiæ Meæ! Ut pateat eversa Mecum & in Me Libertum Polona! Proculcatum Nobilitatis Jus & Decus, sublata summa Prærogativa Liberæ Vocis, Hoc Manifestum in vulgus evulgo. Obsecrans Omnes ad quorum Manus devenerit, ut omnibus in eo contentis plenam & indubiam fidem adhibeant, & ad eum effectum *obligans Me Præmissa omnia & singula palam & ubique deducturum:* Nam quemadmodum solidâ virtute, veritate non fucatâ, fide integrâ, Bonum Patriæ semper

Occasio scripti hujus.

Diu spe rei collectionis dilati.

Singula scripta authentice obligat se probaturum.

 promovi,

promovi, ita iisdem adjumentis ad propugnandam Innocentiam & hæc publicanda succingor. *Mendacia & Figmenta ad eum refero Nidum, ex quo consveto solent pullulare fœtu.*

CAPUT II.

Antiqua Familiæ Srzeniavitarum tum & recentia Merita in Regem & Rempub. recensentur.

Quia verò Natalium Honos, Virtutis fulgor, Merita Majorum eam vim habent ut Posteritatem arcano quodam illicio trahant, & occurrentibus adversis Nepotes suos conscientiâ Originis inclytæ, ac propriæ virtutis fiduciâ demulceant simul & erigant, Idcircò & Ego debitâ cum modestiâ, in *Meam Domumq; Mea* paulùm digredi cogor *Gloriam*, submittendo legentis judicio, num tot & tantis Meis æquè ac Majorum Meorum circumfluens Meritis, ac insuper patenti Innocentiâ subnixus, justè præsertim in *Repub. Liberâ* tantam Oppressionem subierim?

Generis Origo Mei nascenti penè coæva Patriæ, Principia & Ortus suos à Cunis & Natalibus ejusdem desumit; facileque curiosus scrutator deprehendet stirpis hujus Alumnos *tenentibus adhuc Imperii habenas Principibus*, quos cæca Gentilitatis caligo involverat ad eorum Reipublicæque obsequia intendisse & rectè factorum condigna præmia recepisse. Hinc illa indulta eisdem plena & absoluta Potestas, Villas & possessiones ad ripam fluvii SRZENIAVA locandi & in rem suam construendi. Hinc prætacti *Fluvii Insigne quod Gentilitiis Armis præferimus* in præmium Meritorum *Domui Meæ collatum.* Posterioribus verò temporibus cum vis aliqua Patriæ ingrueret, & necessitas urgeret, eadem *Familia Mea* in multas deinde Propagines succrescens & diffusa, nunquam Bono Publico defuit, quod vel unica *Gruneväldensis* testatur expeditio, cui novem integræ Cohortes *Srzeniavitarum* è *Domo & Familia Mea* interfuisse memorantur.

Ad Gruneevaldum Srzeniavitarum Cohortes.

Verùm quid Antiqua memoro? liceat recentioribus immotari. Quanta præstitit *Avus Meus* propter Rempub. & *Serenissimum olim Regem Moderni Serenissimi Regis Parentem*, *Moscho-*

Sebastiani Lubomirski Virtus.

Moſchovitica Livonicaq́; bellorum tempore? ad quæ conficienda integras Phalanges&Legiones ære proprio conductas,Regiæ Majeſtati ac Reipub. ſubmiſit ac auctoravit.

Patri Meo ne Hoſtes quidem eam *Gloriam* negant, quod *totam & vitam & Fortunas in Communis tutamen Boni prodegerit, & tam ſe ipſum quàm quidquid ſuum eſſet in Communes uſus derivarit.* Quo tam inſigni Patriæ Amore, non modò reciprocos ejusdem amores,ſed totius Chriſtiani Orbis Plauſus meruit & Affectus. Cogor in Memoriam revocare,vim illam formidandæ ad *CHOCIMUM OTHOMANICAE Potentiæ Imperatore Oſmano Polonis* imminentem ; Verſebatur tum non modò Patriæ, ſed totius *Europæ* Salus ab illius belli eventu pendula. Cecidit ſors frangendæ Potentiæ tantæ ſuper *Parentem Meum*, eiq́; ſumma rerum, & regendi Poloni Exercitûs Arbitria conceſſa, & quidem felici exitu. Nàm DEI adjutorio fretus,reſpondit Optatis Patriæ,repreſſit formidabilem,&vix aliquando viſam vel auditam Hoſtium potentiam. Deploratam communi diffidentium viribus noſtris Exterorum planctu Rempub. ab Extremo vindicavit Interitu. Prætermitto plurimos ſimiles, quibus *Patria Noſtra* conflictabatur,Caſus,quibus omnibus quantùm mederi ſtuduerit *Parens Meus*,Manu & præſentiâ dum Ætas valeſceret,Milite& Conſilio dum laboribus fractum Anni gravarent.Multi ſuperſunt Teſtes præmiſſorum omnium oculati ſpectatores.

Stanislai Lubomirski Merita.

Præcipuè ad Chocimum.

Etiam in Senecta.

Paribus Materni generis poſſem gloriari Ornamentis ac Meritis; Verùm quia non eſt mentis *Meæ Gentilitia venditare Decora*,aufero manum de tabula,illo duntaxat prætacto,quòd quantò plura *Majorum Meorum* in Patriam Merita & Virtutis monumenta circumfero,tantò iniquiore Judicio & inaudito exemplo Magni Sangvinis Propago absque noxa vapulo.

De Me verò ipſo ut aliquid referam, ita à teneris ſtatim omnes ætatis *Meæ* gradus contexui, ut publicè Patriæ *Meæ* proficuus,privatim verò,uncuique Officioſus viverem.Percurrat quispiam ab Anno 1636. quo per Ætatis vigorem,aptari obſequiis Reipub. licuit *Omnes Actus Meos*, & rigidiſſimò ventilet ſupercilio ; Recognoſcat tametſi odio vel livore aut naturali Malignitate æſtuat, nullam Mihi prætermiſſam Occaſionem quâ ad *Patriæ* & Regnantium ſervitia,Togatus vel Armatus non accurrerim.

D. Mareſchalci ieē Merita. Sub Vladislao IV. quemvis fervidius pro Libertate intervenit.

PlacuitGenius iſte Meus,immortalis memoriæ *Regi Vladis-*

 lao

lao IV. apud quem tantâ affluebam gratiâ & confidentiâ, ut quamvis interdum Ætatis fervore abreptus, tàm in Particularibus *Palatinatuum Congressibus*, quàm *Generalibus Comitiis* ardentius pro Libertate contra *Aulam* ejusque Exorbitantias & Errores (quos paucos admodùm ac tolerabiles Aurea illa Ætas sub tanto Rege & Heroe tulit) dictione insurgerem nullo tamen Amoris dispendio, innubem semper Principis Vultum experirer. Probabat ille resolutum hunc in tuenda Libertate Zelum & ab ardenti in Rempublicam fide, desumebat mensuram præstandæ Majestati suæ Fidei virtutis ac in obsequia promptitudinis. *Oderat nimirùm in subditis degenerem illum fœdæ adulationis fucum & non metuebat Libertatem.* Optimè gnarus Politicam illam, quæ Regem à Reipub. scindit, Idololatriam, Crimen esse utrique ex æquo efficiens. Quia dum dividit & separat unitatem, hoc est, Animam Reipub. Legibus, Juramentorum fide, tot demùm Annorum usu, in unum Corpus compactam, avellit ac perimit.

In Comitiis bis repugnat Intentionibus Regis.

In Comitiis Anno 1643. in quibus *Me præside* ac eorundem Comitiorum *Directore, Glorioso Meritissimoq; Principi*, accedente speciali curâ & annisu Meo debita decreta est Gratitudo, tametsi ex certa Occasione accedere ad Placitum Principis non potuerim, immò ortâ lite inter Me & insignem quendam Magistratum, ex Causa liberrimæ obnuntiationis, minanti disgratiam Principis, publicè responderim: *Malo jacturam Fortunarû quàm Fidei*, tametsi deinceps in Comitiis Anni 1664. quando satagente ad conflandum *Bellum Turcicum Principe* fremebat contra sentientium, & avitæ Libertatis amantium Civium Zelus inter cœteros ad id muneris Deputatos Terrarum Nuntios forte lectus, invidiosam illam *Principi arma spiranti* Constitutionem concordi voto scripserim, quam deinceps ardenter promovere, conservationis Status Reipub. cura non sine irritamento *Principis* ac disgustu jussit. Nullo tamen vel minimæ asperationis indicio, superavit offensas omnes Magnitudo Animi & Virtutis Amor, in hoc *excelsissima Mentis ac Incomparabilis Perfectionis Rege.* Adeò ut paulò post in præmium servatæ ex munere meo Reipublicæ Fidei contulerit ultrò Mihi, de vacatione penitus ignoranti *Capitaneatum Chmielnicensem*, & simul promiserit *Cracoviensem*, quem in brevi, de tanti Principis Benignitate consecutus sum. Addidit insuper specialissimi Affectus argumentum, quod Me Aulam suam comitari in

Rara hoc seculo virtus.

Nec malè tamen fert Rex.

Immò appretiante hanc Libertaté Rege, Capitaneatus binos in præmiû capit.

Lithuaniam

Lithuaniam jussum *Marischalci Aulæ* munere (ægroto *Kodzanovio* dignissimæ Memoriæ Satrapâ & Aulæ Magistro) Magistratum hunc dignanter sponponderit, posteaque extincto illius Possessore, privilegio firmavit.

Et brevi post Munus Marischalcatus Aulæ Serenissimo moderno favet in Electione.

Jam verò post Fata prædicti, nunquam sine publico desiderio memorandi *Principis*, quantum Me in Obsequia *Moderni Serenissimi Regis* à primo statim Dominationis ejus exordio impenderim ? Quid tempore Interregni in *Convocatione Nobilitatis*? Quid in *Comitiis Electionis*, ad pacatam illius *Electionem*, ad sopienda duorum Fratrum ambitu Regni æstuantium, ac de Throno concurrentium, certamina contulerim? Quos demum sumptus in *Coronatione* legendo militi, qui securitati pariter, ac Auctoritati Dominatricis adsisteret Majestatis profuderim ? Sileam licet ego, injiciente frenum Modestiâ, abundè tamen singula hæc loqvuntur ipsæ Serenissimi Regis literæ actarum Mihi gratiarum plenæ. Loqvuntur uberrima de Manu ejusdem *Serenissimi* recepta Præmia gratitudinem memoris obsequiorum Majestatis testantia. Quid *Zborowiensem, Berestensem, Zuanecensem*, Expeditiones memorem? In quibus omnibus clara dedi documenta animi *Patriæ ac Regiæ Majestati* devoti, & vitam Fortunasque conservationi eorundem mancipantis. Et licet interdum minùs tolerandis homini libero ac rectè factorum conscientiâ elato ictibus perstrictus fuerim præsertim in Castris ad *Zuanecium*, ubi dum *Senator* & *Juratus Reipub. Officialis* pro conscientiâ sententiam in publico *Senatûs consulto* adhibitâ omnimodâ *Dominatricis Majestatis* veneratione dicerem, insvetus minùs competentis iracundiæ fervor, verborumque acrimonia dicentem intercepit, non tamen ultra processi, quàm ut conceptum exinde dolorem per querelas apud dignissimæ *Memoriæ Cancellarium Regni* id temporis *Koricinium* profusas egererem, idque eo animo, ne aut vili tantæ Injuriæ dissimulatione, Auctoritati publicæ Personę derogarem, aut sparsis in vulg⁹ querimoniis tranquillitatem publicam convellerem. Quæ omnia literis meis, & obtento ad easdem dicti D. Cancellarii responso propriâ ejusdem *Manu* scripto authēticè cuilibet deducere paratus sum, deducturumque me offero, non tamen illis literis quæ posthac *Varsaviæ* sub nomine *D. Cancellarii* jubente *Reginali Majestate* sparsæ per ora omnium circumferebantur.

Omnibus expeditionibus ac bellis interest.

Ad Zuanecū confusus à Rege, Injuriam prudenter dissimulat in Gratiam Patriæ.

Postmo-

Bona Hæreditaria propter Patriam Militiæ hypothecata.

Postmodum sub tempus *Sveticæ, Transylvanæ, Cozacicæ, Moschoviticæ* incursionum, quâ fide & constantiâ *Principi & Patriæ militârim*, rejecta quæ toties ab Hostibus offerebantur Fortunarum incremēta, spreti Tituli & Speciosa Dignitatum Nomina. *Bona* demùm *Hæreditaria omnia pro Bono Communi oppignorata* (quæ unâ cum dignissimæ Memoriæ Senatore *Joanne Zamoyscio Palatino Sandomiriensi* Magnorum ausuum zeloso Comite in Hypothecam dedi & locavi prout Constitutio Anni 1658. testatur) loquantur, & Integritatem Fidemque Meam vindicent. Id ipsum clamant ad *Magnum Tartarorum Chamum* quatuor à Me directæ Legationes, ingentis pretii Muneribus honestatæ. Clamat Rakocii ardens ambitus, in ipso Votorum æstu ad felicem *Serenissimi Regis* reditum consiliis meis remoram oppandentibus inhibitus. Clamat tot tantorumq; hominum (quorum oculos nimius Fortunæ *Sveticæ* everberaverat splendor) nutans animus, verbo & exemplo ad audendum fidendumque evectus. Ac deniquè Fortunatus Majestatis Regiæ in Patriam regressus; Translata ad eundem Exercitus Poloni quæ jam Svecis submiserat signa, Ducum & Militum in obsequia Dominantis feliciter Lancuthi perfecta conversio. Involverem hæc silentio, ita jubente innatâ modestiâ, nisi ipsamet *Sacra Regia Majestas*, dato per literas Meritorum Meorum testimonio, pariter Magnus ille faustæ recordationis *Primas & Archiepiscopus Gnesnensis Leszczynski incorruptæ erga Patriam Fidei & Amoris Senator* indulgeret Mihi licentiam, jactandi publicè eam Virtutem, quæ nunc maligno adversantium dente, adeò impudenter ac mendaciter proscinditur. Quod ut omnibus palam fiat ex Authenticis harum literarum transumptas copias visum est Mihi hîc inserere.

Plurimos Svecum secutos reducit.

Exercitum Polonum ab eodem abstrahit.

Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

Literæ S. R. Majestatis. In quibus depredicat D. Marschalci Fidem & Constantiam.

Illustris Sincerè Nobis Dilecte. Quemadmodum non sine causa requirebamus ut Sinceritas Vestra ad conferendum in Commune super Bono Publico consiliū, Majestatē Nostram cōveniret, ita posteaquam à Sinceritate Vestra graves continuandæ in Scepusio *residētiæ accepimus rationes, lubentes illis acquiescimus; Animadvertimus enim tàm in his quàm in literali per Generosū* Lubovieckе *datâ declaratione, in omnibus Sinceritatis Vestræ progressibus inviolatam & ad exemplum proponendam Sinceritatis Vestræ erga Nos Fidem, erga Patriam Charitatem; Firmat Nos in eodem sensu consiliū istud quod Sinceritas Vestra in Mediū Collegii Senatorii intulit, in quo quanam accedente diligentiâ & auspicio Nostro facta fuerit conclusio Sinceritati Vestræ notum facere non gravabimur. Ad præsens Sinceritatem Vestram assecuramus.* Quod omnes inclyti & hoc ævo raro visi Sinceritatis Vestræ conatus ultra perenne nomen & cætera præmia per quæ ipsa sibi virtus grandis fieri solet Merces immutabilem ac memorem

Obligat se perenniter ejusdem Memorem futurum.

memorem gratitudinem Nostram Sinceritati Vestræ obligabunt. Bonam interim valetudinẽ à Domino Deo Sinceritati Vestræ optamus. Dat. Opoliæ die 18. Novembr. Anno M.DC.LV.

Joannes Casimirus Rex, Manpr.

Alteram huic similem Epistolam perfectioris elucidationis gratia subjicio.

Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

Illustris sincerè Nobis Dilecte. Delectârunt Nos multùm fortunata initia redeuntis ad Obsequium Exercitus Nostri, nec illud minùs quod devoti in id Sinceritatis Vestræ conatus tam patenter felici resplendent eventu, ut audacter Sinceritatem Vestrã pro Primario restitutionis Nostræ recognoscentes Cooperatore & Principali Gratiæ Divinæ Nobis exhibitæ Instrumento *possimus deinceps non invidiosà sinceritatis Vestræ Operam & promptitudinem rependere Gratitudine, totamq́ Nostram in Sinceritatem Vestram reclinare Fortunam, ac deponere confidentiam. Dabimus horum occurrente occasione ad requisitionem Sinceritatis Vestræ Documenta, & oretenus in his assecurabimus Sinceritatem Vestram, siquidem intra duos dies, rectà Scepusium versus per confinia tamen Hungariæ monebimus, non dubià spe subnixi, quòd illic quoq́ nova & Deo dante felicia Sinceritatis Vestræ pro Majestate Nostra & Libertate Patriæ solicitudinis experiemur argumenta. Ad quæ perficienda ut Deus vires suppeditet Sinceritati Vestræ bonam ab eodem valetudinem precamur. Dat. in Minori Glogovia Die 16. Decembr. Anno M.DC.LV.*

Gratiarum Actoriæ de abstracto Exercitu à Svecis.

Auctorem Recuperati Regni nominat.

Fortunam suam in sinum illius deponit.

Joannes Casimirus Rex.

Verùm nec Illustrissimi Andreæ Leszchynski Archiepiscopi Gnesnensis literas silentio transmittere expedit. Quarum tenor talis est.

Illustrissime Domine Marischalce Regni

Dne & Frater Colendissime.

Ecquando tandem major affulsit opportunitas testandi congenitam unicuiq́ Nobili Virtutem & Fidem erga DEUM, PATRIAM, & Regiam Majestatem, atq́ in præsenti Respub. Calamitate! Non semel rorantibus suffundor lacrymis, dum tristi vulgante famâ audio Inclytas & Magnas Domos *quibus nulla ante adhæsit nota nunc turpissimam perfidiæ incurrere maculam; & oblitos sacrosanctæ fidei, oblitos earum: quas cum lacte suxerunt* Libertatum, *promptissimis animis, ad subeundum turpissimæ servitutis Jugum festinare. Verùm hæc fatis imputanda, quæ tamen sera posteritas judicabit & cuiq́ Decus suum rependet. Parte alterâ quid potest fingi pulchrius aut deliniendo voluptate animo accommodatius! Atque videre tam multos & magnos viros inconcussa Constantiâ,* Virtuti, Fidei, Amori in Patriam *tenacissimè insistentes! Qui, licet res penè desperatæ videantur, Animum tamen fiduciâ Auxilii & Misericordiæ Divinæ erectum non deponunt*, & Avitam Majorum Familiarumque suarum Gloriam, *non modo retinere, sed novo augmento proferre satagunt.* Hæc Gloria debetur & in omnem Posteritatem debebitur Celsitudini Vestræ, *qui tanto*

Literæ Illustrissimi Archiepiscopi gratiarum Actoriæ.

Conqueritur de multis degeneribus Patriæ filiis.

Marischalcum fatetur maxi-

ximè pro Bono Patriæ contra Svecos pugnare.

zelo & fervore adniteris, ut afflictam Patriam, ex hoc laqueo in quem prolapſa eſt, ex jugo quod vitio Abortivorum Filiorum ſuorum *incurrit, ernas & priſtina reſtituas* Libertati. *Ipſe Deus omnibus ſolatiis penſet ſolicitudinem hanc, & quàm largiſſimas in* Prolem, *totamq́;* Domum Celſitudinis Veſtræ *benedictiones refundat, quod Ego præmiſſâ ex parte meâ Gratiarum actione, intime Celſitudini Veſtræ apprecor. Jam igitur Sacra Regia Majeſtas &c. Itero meam gratiarum actionem, itero vota pro felici eventu Molsminum & Progreſſuum Celſitudinis Veſtræ concepta, & ſi Deo dante vita ſuperfuerit*, Liberatoris Patriæ Nomen & Gloriam non modò privatim ſed publicè Celſitudini Veſtræ tribuam. *Multum indoleo quod tametſi animitùs optarem Regiæ Majeſtati Comes Itineris hujus adjungi, valetudine tamen affectâ obſtante, & hiis quæ me aſſiduè diſcrutiant pathematibus, retineor. Attamen quemadmodum Meditata Celſitudinis Veſtræ votis proſequar, ita etiam parte alterâ in providendo Bona non lenteſcam. Interim me Gratiæ Celſitudinis Veſtræ commendo. Datum in Minori Glogovia 12. Decembr. Anno 1655.*

Liberatoris Titulũ debere palam fatetur.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ Addictiſſimus Frater & Servus

Andreas de Leszno Archiepiſcopus Gneſnen. Mpr.

Præteritione merita ſua involuit.

NOn commemoro Tranſylvanicum ſopitum Bellum, recuperatam Pruſſiam, Moſchoviticos Exercitus pedibus Regiæ Majeſtatis ſubſtratos, Coſacos armorum & Conſiliorum vi ad pacem amplectendam inpulſos, horum enim omnium Gloriam, virulentiſſimus etiam Livor eripere mihi nequit.

CAPUT III.

Cauſa tota concepti Odii ex impugnata ELECTIONE fluxiſſe demonſtratur.

Pro meritis augetur honoribus.

POſt transactam ita, vires Deo ſubminiſtrante, in obſequiis Dominantium ac Reipub. Ætatem, non defuêre oblata à Dominantibus Præmia; Aperta ſcilicet Meritorum Meorum & Virtutis Teſtimonia, unde per Dei ac Regum pro tempore ſceptra tenentium Gratiam in tàm altum Dignitatum evectus apicem, reſplendui. Appello hic Scientiam immò adjuro Conſcientiam uniuscujusq; dicat liberè, ſi Judicio aut Potentiâ, vel Publici emolumenti reſpectu, odio demùm vel vindictâ ductus, quempiam oppreſſi? Si vicini alicujus gravis Accola extiti? Si peculio Reipub. Privatæ Fortunæ cenſum auxi? Si creditam mihi Potentiam ad propria Emolumenta, Lucra Factiones Practicas derivavi? Si in conſortium earum quæ à Milite Hybernæ ſuſtentationis nomine leguntur Exactiónum, ſeu aliarum quocunque titulo vocentur militarium extorſionum Participationem veni? Si in continenda Militari Diſciplina remiſſior propter reſpectus aliquos Criminoſis indulſi, aut conquerentibus Juſtitiæ Rigorem negavi? Reum me nunc palam agant, qui talia probare poſſunt, modo veris non quæſitis aut per ſubordinationem compilatis inſiſtant argumentis.

Comitia Anni 1661. occaſio odiorum ac malorum.

Florui hoc virtutis beatus præconio in ipſius Sacræ Regiæ Majeſtatis gratiâ, æſtimatione, & qualicunque confidentiâ usque ad *Cudnovienſis* Expeditionis Palmam; *Comitia illa Comitia ſiniſtris avibus orta*, in quib⁹ *Electio novi Regis* ſpecie velut futurorum malorum antidotum, reverà prout exitus docuit, *Præſentium calamitatum Seminarium, & fatale nova Eridos Pomum* tractabatur, dirâ metamorphoſi omnia confudêre: Nam exinde peſſimi & ad perniciem Patriæ accincti in gratiam emersêre, rectis ac Rempubl. amantibus, jusque commune pro Regula agendorum ac Normâ habentibus, Implacabile Odium, Majeſtatisque averſio, præmii loco obtinuit, & buccinante impudico ac impio ore Malæ Matris Filii, qui ſummos meruerunt Titulos falsò audière.

Et

Et hæc est sementis Publicorum Privatorumq; Malorum, è quâ pullularunt tanta Infortunia, quanta hodiè Justitiam & Libertatem cum stupore totius Orbis prostratam adflixerunt. Hic est unicus scopulus, cui illisa Mea illa omnia, in Patriam Patriæq; Moderatorem, simultaneo naufragio absorpta sunt Merita; quia nimirùm super *Electione* non tàm præcipitanter nec tàm illicitis ac requirebar modis Consensum adhibui. Quia *voces Liberas Particularium Comitiorum*, vi adhibitâ præfocari non permisi; quia *Venerandæ Senatorum Canitiei, ut Gallico componerentur ritu ferreos pectines* (prout in clamabatur) *non admovi*, quia adversus contradicentes in Senatu armis & gladio non infrendui, quia Legiones ac signa militaria per Domos Procerum ac Nuntiorum Terrestrium (quemadmodum poscebar) non disposui, quia *Corruptiones ac Dona Exterorum, ultra Civilem modum ingesta*, immò sæpiùs domum illata constanter abnui, quia *Gradus Liberæ Electionis* præposterâ confusione involui non permisi, quia *Interventioni Majestatis* ad Electionem uti & tanquam Libertati Electionis præjudiciosæ, in mò candem à fundamentis per Auctoritatem in præsens, per Exemplum in futurum convellenti & perimenti contradixi, quia auditâ Legatione *Rendi Nicolai Prazmovvski Cancellarii Regni*, quam Internuntio *Piotrovvicz* ad Potam *Othomanicam* ordinârat, ut particulariter de Electione non nisi in Personam Galli facienda tractaretur, velut ictus fulmine dirigui. Jam enim inde ardens vindictæ libidine furor cudebat in caput Meum, eas omnes quas nunc punctualiter exequitur passiones. Inde primùm orta est perniciosa *Famosorum Libellorum* licentia, Inde scriptis anonymis, Informationibus falsis Fama & reputatio Mea impetita; Inde venientes ad privatam audientiam Amici Mei, promissis & largitionibus, minis & terroribus distrahi à me cæpti; Inde Hostes mei præmiis elici ac in confidentiam admitti, Exercitus in meum Fortunarumque mearum Exilium concitati; Omnes Actus Mei, cum Recto licet & Honesto semper cohærentes, sermones præterea & conversatio, malignâ Interpretatione in partem sinistram trahi, Exploratores vitæ meæ Delatoresque subordinari, Consilia Clanecularia noctu de modis subvertendi me cum publicis Reipub. Proditoribus iniri; compendio claudam, omnia illa quæ *Furor, Odium, Invidia, Malignitas, Libido*, vindictæ dictare & investigare potest, contra me inquiri acervari: Verùm quia in scriptis illis Impiis (nam Famosi libelli & eorum scriptores Infames sunt) Auctor primus fuisse *Electionis hujus* insimulor, cujus postea eventum corruperim, ut toti constet orbi evidens Mendacium in utroque hoc puncto commissum, paucis aperiam.

Quæ omnia enumerantur.

L. unica C. de famosis libellis.

CAPUT IV.

Quando & Quibus mediis Seren. Regina Electionem Successoris urserit, & quos ad eum finem Senatorum NEXUS privatim combinârit.

LOngùm nimis & operosum esset percensere omnes Tractatus, Modos, versatilis calliditatis Artes, quibus ab Exordio statim, insensibiliter primùm animis Civium instillata, palam deinde in Theatrum Reipub. producta fuit, hæc Novi Successoris Electio: Namque huic operi perficiendo insudarunt plures Anni, Occasiones, Practicæ; & multi alii influxus, quæ omnia & singula ad eum finem tendentia, inauditâ Pseudopoliticorum observantiâ, solicitudine, subtilitate, contexta sunt & perfecta. Sufficit illud dixisse, quod quemadmodùm cætera Rerumpublicarum mala exempla, plerùmque bonis initiis sunt orta, ita hic Fatalis Publicæ Libertatis scopulus, sub obtentu Boni emersit,

Mirabiles ad perficiendum Electionem adhibitæ artes.

Optimis etiam visa est Electio bona, in Casu si recte fieret. Causæ hujus Electionis.

& Optimis etiam Civibus Patriæque deditissimis specioso fuco imposuit. Ca enim Momenta Reipub. Nostræ pensanti sterilis Regia Domus, oblatum ultim necessitate Patriæ tam multis Diadema, & per consequens Civium studia in plu res Competitores distracta, curam concordis & pacatæ Reipub. nō intendissen Oblatus fuit quatuor Legationibus *Domui Austriacæ* in casu Electionis specia ejusdem Domus seu recommendationis ab eadem habendus respectus, prou scriptum à Sacrâ Regiâ Majestate & nonnullis Senatoribus Magistratibusque Regni (quibus Meum etiam Nomen addidi) eo fine datum testatur; Idem *Mo schorum Imperatori* consensu omnium subsequenter delatum, ac demùm cum *Rakocio* (quod tamen ad eludendum duntaxat ejus ambitionem tantò periculo sius, quantò fervidius cupidine Regni æstuabat, è vicino imminentem studium Meum erga Patriam in Præsentiâ tot Senatorum, ac ex Ordine Equestri Digni tariorum, & Inclytorum Civium suasit, ast deinde ad arbitrium Sacræ Regiæ Ma jestatis remisit) Legationibus publicis tractatum, quamvis deinceps armorū feli citate sopitum. Palam ergo fuit optimorum Civium Prudentiam, cui ex munere incumbit mala imminentia avertere, in hoc quoque casu obligatam fuisse, ut malis interregni tempore occursuris prospiceret.

Vel maxima propter amovenda pericula tempore Interregni.

Nec diffiteor, quod ego et iam quem Divina dispositio, & Regiæ Majestatis Gratia, primis Regni Magistra tibus accensuit, fuerim inter Primos, quibus è re bonoque publico visum consu lere de Patria & malis imminentibus tempestiva remedia apponere, ingenueque re cognosco, Propositionem hanc Reginalis Majestatis Illustrissimo Primati Regni ac cæteris Proceribus & Magistratibus oblatam, particulariter me, in vota ejusd Reginalis Majestatis pertraxisse nihil sinistri suspicantem, sed Amorem dunta xat erga Patriam Nostram & Prudentiam Reginalis Majestatis suspicientem.

Consideratio seu Nexus in ordine ad Electionem perficiendā.

Consensi itaque super istâ Senatûs ac Equestris Ordinis pro *Libertate Electionis Confœderatione*, quam hic cum cæteris ad eam spectantibus instrumentis ex Au thentico de verbo ad verbum desumptam placuit in majus Reipub. Bonum inserere.

Super hoc Consensus Regius.

Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

U*Niversis quorum interest significamus. Quia Nos moti respectu orbitatis Nostræ, quandoquidem superesse Nobis Prolem quam Reipub. commendare possemus, Numen noluit, & considerantes solita Rerum Publicarum tempore Interregnorum pericula, volentes insuper post Fata etiam Nostra, evidens relinquere Patriæ nostræ in Rempub. Charitatis Monumentum, eamq; non modò durāte Vitâ à noxiis competitorum, ac Jus aliquod habere se prætendentium factionibus, verùm post obitum quoq; Nostrum à periculosâ tutari orbitate, non modo consensimus & consentimus sed requisivimus & requirimus* Motoresque *sumus, ut Dni. Consiliarii & Officiales Nostri Utriusq; Gentis, ex nunc nobis adhuc viventibus de eligendo & designando successore qui post Fata Nostra Thronum inscendat, & de acceleratione solennis Electionis, seriò consilium capiant, & Equestrem Ordinem ad eosdem cogitatus disponant ac pertrahant, ad quod perficiendum plenam eisdem damus Potestatem. Promittentes prædictis Dnis Consiliariis Magistratibus ac Ordini Nostro Equestri, quod in quemcunq; Candidatorum vota conferent, in eundem nos consen-* *sum*

sum præstabimus & ex nunc scripto præsenti damus, illiusq; partes in Repub. & contra quemlibet tuebimur, & multò magis nunquam ad ullos cum quopiam alio prætendente de successione Regni Tractatus descendemus, nec spes cujusquam in assequendo sceptro, præter illū qui fuerit modo quo supra designatus, directè vel indirectè promovebimus, nec obicem illum conclusis & consultatis circa designationem successoris post Fata nostra regnaturi ponemus. Confidimus reciprocè in Dominis Consiliariis Officialibus & tota Repub. quod etiam post electum Successorem, integram subjectionem illibatamq; Fidem, Nobis ad obitum usq; præstabunt ac exhibebunt; prout id Nobis verbo Nobili, & seorsim scripto sub nullitate supra dictorum caverunt. In quo quidem scripto, quemadmodum nonnullæ conditiones & requisita designandi successoris motu nostro sunt apposita, ita per eadem non restringimus plenariam, quam Dnis Consiliariis & Officialib9 Nostris damus facultatem, quin omnia alia requisita Candidatorum ex usu & bono Reipub. & ratione temporum dispiciant & examinent, vigoreq; illorum successorem designent, dum modo etiam illa requisita in scripto prædicto specificata inter cætera comprehendantur. Quia verò Serenissima Regina Conjunx Nostra intuitu curarum & affectus sui, meruit semper à Nobis Amorem, à Repub. Gratitudinem, utpotè quæ omnes spes suas in Repub. defixit, debebit habere circa hunc Electionis Actum proprium Interesse, *atq; idcircò Serenissimam Reginam ad eadem consilia admittimus & volumus, ut de futuro successore conferat cum Senatu & Republica, suumq; recommendet Interesse. In quorum omnium majorem fidem & certitudinem scriptum præsens manu propria subscriptum sigillo nostro muniri jussimus. Datum Varsaviæ Die Mense Anno M.DC.LIX.* Reginæ Interesse reservatur.

Sigillum annulare.

Joannes Casimirus Rex.

NOS Infra scripti quemadmodum humiliter & demisse Sacræ Regiæ Majestati Dno Nostro Clementissimo gratias agimus, quòd solo motus amore, & providentiâ Boni publici, dederit ultrò verbalem & specialiter deinde scripto plenariam facultatem consultandi de Successore Regni post sera fata ejusdem Sacræ Regiæ Majestatis, ac eundem designandi, duranteq; Majestatis suæ vitâ eligendi. Ita nos reciprocè obligamus, quia & in Electione & post factam Electionem Regis futuri in totali subjectione & intactâ fidelitate erga Sacram Regiam Majestatem ad præsens Nobis feliciter imperantem usq; ad sera ejusdem Majestatis Fata constanter perseverabimus, ad novum Principem cum præjudicio Majestatis Serenissimi Dni Nostri feliciter moderni ac fidei nostræ eidem datæ non respiciemus, neque ullas partes Imperii tàm Civilis quàm Militaris absque consensu ejusdem Regiæ Majestatis ipsi deferemus vel assignabimus & in omnibus quo personam vel statum Electi post factam Electionem Consensus Senatorum

Conditiones eligendi. concernent Consilium dictæ Regiæ Majestatis cum debita Reverentia requiremus ac inibimus. In designando verò Successore eam normam servabimus, ut nullus è Candidatis in spem successionis (de qua res est) assumatur, qui non fuerit Romano-Catholicus, & notabiliter ætate minor quam sit Sacra Regia Majestas; nec minus necessario illud requisitum ab eo exigemus & stipulabimur ut velit & possit in matrimonium assumere Marchionissam Neptim ex Sorore Serenissimæ Regiæ Dnæ. Nostræ Clementissimæ, gratificando hoc pacto eidem Reginali Majestati Amorem & Affectum Reipub. Nostræ impensum, multasque alias connubii hujus rationes præ oculis habendo. Quæ quidem tres conditiones eligendi à Sacra Regia Majestate propositæ & à Nobis pro necessariis acceptatæ adprobatæq; sunt. Reliqua verò ultra prædicta tria in Candidato eligendo requisita necessaria, quemadmodum Sacra Regia Majestas subjecit totaliter & integrè disquisitioni & Decisioni Nostræ, ita eadem ex mente ejusdem Regiæ Majestatis & bono usu ac conservatione Reip. decidemus ac eligendo applicabimus. Quæ omnia Sacræ Regiæ Majestati super dicta Electione seorsivo scripto permissa adimplere promittimus, & hoc scripto ad Manus Sacræ Regiæ Majestatis dato nosmet ipsos obligamus. In quorum omnium meliorem fidem præsentes Manibus Nostris subscribimus, & alios qui ad hæc Consilia è Repub. (ad cujus consensum omnia dirigimus) accedent, ut etiam ipsi subscribant inducere laborabimus. Datum Varsaviæ Die Mense Anno M DC.LIX.

Cæteræ ex Mente Regis deducendæ.

Nexus in ordine ad Electionem instituitur.

Nexus in ordine ad Electioné.

QUoniam *Sacra Regia Majestas Dnus Noster Clementissimus* solicitudinem erga hanc Rempub. etiam ultra metas præsentis vitæ protendens, *non modò concessit, verùm singularis & Unicus Motor extitit Ordinibus Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ*, ut stante vitâ Serenissimi possint & velint de Successore Regni cogitare & consulere: Et quoniam insuper erumpunt jam Factiones eorũ, qui in orbitate Principis & incertitudine successoris spes suas locantes moliuntur vel invitæ Reipub. Regem obtrudere. Quocirca Nos infrascripti consilio de Repub. & Libertatibus Nostris inito, certum NEXUM sub Auspiciis Sacræ Regiæ Majestatis firmavimus, unanimi consensu sequentia concludendo.

Conditiones Candidati. PRIMUM. Quod Successor post sera fata Sacræ Regiæ Majestatis regnaturus necessariò debeat eligi & sit à Nobis eligendus, durante vitâ Serenissimi, ut spes Prætendentium reprimi, factiones ambientium rescindi, & Respub. ab aliis periculis, quæ sub interregnis occurrunt, assecurari possit.

SECUNDUM. Concordibus votis annuimus, quòd Candidatus Regni sequentia debeat habere requisita, juxta quæ trutinari ac inquiri debebit. I. Ut sit Romano-Catholicus. II. Ne sit Piastus, id est Polonus seu Indigena. III. Ne sit diademate redimitus & aliorum Regnorum Dominus. IV. Ne sit vicinus Sarmatiæ Nostræ, ob Potentiam formidandus. V. Ne sit ullus ex duobus domibus æmulis in Europa. VI. Ne sit puer aut annis gravis. VII Ne sit uxoratus, ut ducere possit in conjugem Neptim Serenissimæ Reginalis Majestatis.

TERTIUM. Ut nexus iste Noster efficacius ac firmius subsistat, quilibet Nostrum Juramento obstringetur in eam Rotam.

Forma Juramenti Nexus.

Forma Juramenti Nexus.

EGo N.N. Juro Deo Omnipotenti, quod omnia Mea ratione Successoris Regni ad Bonum Patriæ & conservationem Libertatum Reipub. dirigam

gam Consilia, & hujus NEXUS Acta, Integram subjectionem & obedientiam Sacræ Regiæ Majestati ad præsens Nobis dominanti constanter & fideliter præstabo. Consilia & conclusa hujus NEXUS, tum & NEXUM ipsum sine voluntate & scitu Concilii nulli prodam nec revelabo, quodcunq; NEXUI huic proficuum aut necessarium videro, facere & indicare nõ morabor, & si quod nocivum sensero in hoc Concilium præcustodiam, & pro viribus meis huic obviabo. Ex Candidatis Regni huic adhærebo, qui communi consensu & suffragiis NEXUS istius electus fuerit, verùm ne cum hoc quoque quidquam privatim & sine scitu Concilii tractabo, eoq́ue magis cum Candidatis, quos Concilium hoc pro exclusis decernet ac pronuntiabit, in nullas cointelligentias ingrediar, nec prætensiones illorũ promovebo, immò illos præpediam, Meq́ue illis opponam, nisi aliter Concilio NEXUS hujus visum fuerit. A NEXU hoc nunquam recedam, nec me ab illo sejungam, donec mutua & communis hujus NEXUS secuta fuerit dissolutio, & missio. Ita me DEUS adjuvet in Trinitate Unus.

QUARTUM. Quò verò Acta & Consilia NEXUS hujus efficaciam & pondus majus habeant, supplicavimus utriq́ue Regiarum Majestatum Dominis Nostris Clementissimis, ut non modò in eundem Nobiscum NEXUM conspirent, verùm Directionem Concilii assumant, & id quod judicabitur fore Reipublicæ, secundum NEXUM Nostrum, utile ac necessarium, exequantur cum scitu & Consilio NEXUS istius.

QUINTUM. Si quando aliquid in hoc Nexu addendum, corrigendum, immutandum videbitur, aut si forte notabilis aliqua inter membra Concilii in sentiendo difformitas interveniet, tunc omnia illa quæ communi consensu stabiliri non poterunt, *Pluralitate Vocum* & Votorum determinari debebunt, qui tamen concludendi modus ad præmissa duntaxat extendi debebit. Dolus in pluralitate.

SEXTUM. NEXUM hunc nostrum, quod felix faustumq́ue sit Sacræ Regiæ Majestati & omnibus Reipublicæ Nostræ Ordinibus, manibus propriis sub NEXU superioris Juramenti subscribimus.

EX hoc scripto unusquisq́ue obsecro, velit diligenter advertere, quisnam fuerit *Electionis Motor*, & quis primùm super eadem instituenda adegerit calcar? concilia ergò Anonymos cum Authenticis, & videbis cui faveat veritas, agnosces quis sit obstetricante Invidiâ Effœtus, quis genuinæ ac substantialis veritatis Partus. Considera præterea ea quæ in scripto Confœderationis in requisitis

regnandi

regnandi hîc sunt apposita, num aliquid de tempore Electionis memoratum ? ut deinceps faciliùs in alio immutato scripto, quod infra proferam, differentias & causas differentiarum advertere penetrareque valeas.

Ut subscriberem scriptum istud Confœderationis, CZCZOVIAM vocatus fui, tunc quando post captum feliciter GRAUDENTUM, pulsos STAROGARDIO CZCZOVIÂque Svecos, recuperatam BRODNICAM, unâ MARIEBURGO ac ELBINGÆ & fortalitio quod GLOVVA seu CAPUT vocatur cum Exercitu imminebam. Illic primùm (quod in Authentico apud Regiam Majestatem asservato ostensurum me submitto) cœpi suspicionibus angi, cum pro capite & manuductrice Generalis Nostri NEXUS Serenissimam Reginam positam legi, & hic fuit primus offensionis meæ lapis, quia id assensu firmare renui. quod Genti Nostræ minus decorum, Regnanti verò injurium sensi. Eradi ergò id debuit (nam describi Instrumentum NEXUS propter appositas jam multorum è Proceribus subscriptiones, quæ commodè iterari nequibant, non placuit) & in locum Serenissimæ Reginæ, utraque Regiarum Majestatum substitui. Atque ita correctum jam scriptum, pluribus Amicorum communicavi, qui laudato zelo meo in conservanda communi concordiâ, quâ salus publica continetur, & ipsi alacres NEXUI nomina dederunt.

Serenissima Regina pro capite NEXUS posita suspicionem parit. Quare Instrumentũ mutari debuit.

Et hæc sunt, quæ palam mecum acta sunt. Præparatoria verò ad idem per annos aliquot agitata in *Convocatione Varsavia, Posnania*, in Castris Thorunium, ubique & continuò, quis percensere valeat ? quis memoriâ retinent ? Fomenta discordiarum mirâ arte tàm ad intrà quàm extrà quæsita & occultata, scripta & dicta in vulgus projecta, Legationes ad Cosacos colore palliatas, missos privatim & publicè ad *Portam Othomannicam Internuntios*; *Sparsas in Exercitu* per Legiones & Cohortes *Schedulas Confœderationum*, spe traducendi eandem in partes suas, fomentatam & protractam, sub obtentu quidem cupidinis Pacis, reverâ autem disponendo cuncta, ad assequendum Intentionum suarum terminum; *Alienatas per Fœdera Provincias*; *Honorarium* præterito *Corona Svetica Commissario* decretum, *violatam* literariæ correspondentiæ Civibus pariter & Externis *Fidem*, & huic fundamento superstructa varia ad evertendos cives, ad dissuendas amicitias, & roborandam factionem molimina. Cuncta hæc in præsentiarum obscura, pandet aliquando & interpretabitur tempus, vel ipsâ per se assequetur Respub. modo aliquando à Senatu & Magistratibus voluerit Actorum rationem repetere, & seriò disquirere, *Quisnam sit Custos Legum*, *quis Prævaricator* ? Quis Publicæ salutis *Assertor*, quis *Proditor* ? Quis status Reipub. *Amans*, quis *Libertatis hostis* ? Ad extremum, quisnam sit *Verus Patriæ Civis & Filius* eandem sincerâ charitate complexus? Quis exterorum moliminum Patriæ noxiorum *venalis Minister* ? Et profectò, si aliam mentem non induet Patria, & damnosos qui in ea reperiuntur Cives non inquiret, nec *Memorando ad Posteros exemplo palam faciet, quomodo scit tam impium vindicare Parricidium*, actum est de salute illius. Sumet vires tam impudens scelesta quæque audendi Libido, & (quemadmodum jam incipit) sceleribus suis tumens ex publicâ Libertate statuque everso triumphabit.

Media per quæ hæc odia erupêre.

Optandum ut Respub. rationes requirat à Senatoribus munerum suorum.

Sic cessarent mala castigatis factiosis.

CAPUT V.

Iterum novus circa Electionem coalescit NExus eademque Electio geminis in Comitiis discutitur, & LIBERTATIBUS Polonis præjudiciosa judicata silêtio involvi jubetur. Unde motus Aulæ, & novus lapis offensionis.

Nondum,

NOndum satis visum est Præparamentorum, ad intentum finem assequendum. Pertractus itaque est Serenissimus Rex in Clarum Montem, ac deinde Cracoviam sub tempus absentiæ meæ, qui bello cū Szeremetho Exercitûs Moschovitici Generali conficiendo intendebam: illic prior Confœderatio seu NEXUS transformatus est in aliud scriptum, quod ad informationem ex Authentico transsumptum hîc insero, ut cuilibet planè pateat, quid nam circa hanc Electionem & quomodo sit actum.

Consensus Regius faciendæ Electionis.

In Nomine Sanctissimæ & Individuæ TRINITATIS Amen.

COnsiderando Sacra Regia Majestas solita Rerumpublicarum sub Interregnis pericula, & cupiens Patriæ evidens relinquere documentum Paterni erga eandem Amoris, non modò consentit, verùm requirit & Author est, ut Domini Consiliarii, Officiales ac Equites utriusq; Gentis ex nunc durante vitâ Regiæ Majestatis ineant seriò Consilia de eligendo & designando successore Regni post sera fata ejusdem Regiæ Majestis habenas Imperii tractaturi, ac de acceleranda hac solenni Electione ejusq; propositione in proximis Comitiis faciendâ, ut mediante Comitiorum Laudo decernatur Tempus & Locus ad id aptus, dans ad id omnibus Ordinibus Reipub. plenariam facultatem, & promittens quod in quemcunq; Candidatorum consenserint, eidem etiam Regia Majestas consensum suum adjiciet, & ex nunc scripto præsenti adjicit, ejusq; partes in Repub. ac contra quemvis alium tuebitur, cæteros prætendentes excludet, & illi soli affectu adhærebit, eumq; Majestatis suæ protectione inumbrabit. Illud unum duntaxat præcavendo, ne Respub. alium eligat Principem, nisi qui sit Romano-Catholicus, & multis passibus Regiâ Majestate Junior. Reliqua verò omnia requisita & Conditiones in Candidato spectandas permittit Liberæ decisioni ac trutinæ Ordinum Regni. Quæ omnia Regia Majestats verbo Regali assecurat & subscriptione Manus suæ firmat. Datum Cracoviæ Die Mense Anno.

Novus Consensus Regius.

Mentio fit temporis præfigendi ad Electionem quod in primo omissum.

Joannes Casimirus Rex.

ET reciprocè Domini Consiliarii, Officiales ac Equites utriusq; Gentis, actis humiliter & demissè Sacræ Regiæ Majestati Domino suo Clementissimo pro Amore isto & providentiâ erga Rempub. concessâque sibi superius eligendi Successoris facultate gratiis, submittunt sese & spondent Regiæ Majestati Domino suo Clementissimo.

I. Quia in Electione & post Electionem factam Regis futuri, in eadem subjectione inviolataque fide erga Serenissimum Regem feliciter Modernum usque ad sera ejusdem Regiæ Majestatis fata constanter & sincerè perseverabunt, ad Novum Principem cum præjudicio Serenissimi feliciter moderni, & Fidei suæ, non respicient, nec illi ullas partes Imperii, tàm Civilis quàm Militatis,

Cautio Senatorum de fidelitate etiam post Electionem servanda.

taris, absque consensu ejusdem Serenissimi prætendent & assignabunt, & de cunctis quæ Personam aut statum ejus post Electionem concernent, cum Sacra Regia Majestate debita reverentia conferent.

Præfigitur tempus tractandæ Electionis in futuris comitiis.

II. Quia omnia Consilia & vires suas eò convertent, ut Materia successionis in proximis agitetur Comitiis, & Tempus & Locus futuræ Electionis in ipsis determinetur.

III. Quia neminem Candidatorum in spem regni invitabunt, aut Electione indictâ eligent, qui non fuerit Romano-Catholicus, & multò Junior Regia Majestate.

IV. Quia cætera requisita Candidati Liberæ Statuum Decisioni à Serenissimo permissa, ex Majestate ejusdem Serenissimi & bono usu ac conservatione Reipub. perpendent, decident, ac ex illis Principem eligent. Quæ omnia adimplere Regiæ Majestati, & ipsi inter se observare, sub Juramento Electionis & nullitate supra à Regia Majestate concessorum appromittunt, & hoc scripto manibus propriis roborato sese obligant.

Hoc Scriptum post confectum feliciter auxiliante DEO cum Szeremetho Moschorum Generali bellum, transmissum mihi fuit Olijkam, subscriptionibus utriusque Cancellarii tàm Regni quàm Magni Ducatus Lithuaniæ authenticatum; Sed hinc iterum nova offensionis contra Me materies; quia hanc Mutationem Scripti & festinationem in eo Periculosam Reipublicæ improbavi, atque petii ut juxta leges tum & Genium Polonicum res ista tractaretur, non præcipitaretur.

Sensus ratione Electionis in Comitiis Proszoviciis declaratur.

Tandem, ubi venit tempus Particularium in Palatinatibus Comitiorum, quænam Mea Mens fuerit *Proszoviciis*, ubi præsens interfui, publicè patefeci. Utique est ingrossata *Actis Castrensibus Cracoviensibus Instructio* illorum Comitiorum. Videat ergo qui cupit Articulum de Electione, quem Egomet ipse scripsi; hoc enim munus ex gratiâ confidentiâque suâ Nobilitas illic congregata mihi concessit, & magno consensu atque applausu sine ulla Articuli immutatione eundem admisit, cujus contenta ex ipso authentico desumpta ad Informationem omnium pono.

Idque per Articulum ejusque sequentia puncta.

Inprimis. Jus de eligendo reassumatur & in omnibus punctis ac clausulis conservetur oportet. Posteà relaxetur pro tunc, ex causa tam grandis quæ ad præsens Rempublicam premit necessitatis.

Secundo. Provideatur securitati Regnantis quàm maximâ fidei ad sera usque fata eidem præstandæ obligatione, & insigni gratitudinis in succedaneum ævum notâ, pro tam eximio, quod vix apud Exteras gentes seramque Posteritatem fidem inveniet, Patriæ huic exhibito beneficio.

Tertio. Provideatur Libertati Electionis ejusque securitati à Regnantibus, ut per publicum Diploma sub Juramento Electionis datum nullatenus eidem immisceantur Serenissimæ Regiæ Majestates, ne quidem per recommendationes.

Quarto. De Persona Candidati in his Comitiis nulla omnino mentio fiat idque sub pœnâ Perduellionis.

Quinto. Observentur omnes gradus & solennitates Electionis. Antecedat Convocatio Generalis Nobilitatis Enitis Comitiis, ab Illustr. Archiepiscopo Gnesnensi tanquã Primate indicẽda, & in loco à Residentiis Regiarum Majestatũ remoto celebranda, tùm deinde subsequeter more solito fiat Electio.

Sexto. Ne per Inclinationem in Personam; verùm pensatis requisitis designetur Successor.

Septimo. Arces & urbes in confiniis sitæ, præsertim verò Metropolis Cracovia & Civitates Prussiæ muniantur firmissimis Præsidiis, quorum Commendantes sint Nobiles Poloni vel ex annexis Provinciis, iique non noviter creati, & per consequens minus probatæ fidei, multò verò magis, non ii quibus aliqua perfidiæ erga Regiam Majestatem ac Rempublicam adhæsit labes. Quod

ut Domini Nuntii circa vacantias & Incompatibilia urgeant, neque ad alia puncta quo ad Præfecti Arcium ac Urbium per Duces Exercitus in facie Reipub. designentur ac nominentur ullatenus descendant, eosdem Fide, Honore & Conscientiâ obstringimus.

Octavo. Curetur ut Convocatio ac Electio ante Hyemem finiatur, nec in longiores prorogationes extrahatur, idque eo fine, ut præcludatur locus factionibus & corruptionibus, quas ambientes Competitores serere consveverunt, magnâ Pactorum conventorum jacturâ, quibus solis apud Nos emendantur defectus, qui in vita regnantium rangi non possunt.

Hinc palam liquet, quid de *Electione* originaliter, quid successivè ante Particularia Comitia, quid demùm in Generalibus Comitiis senserim? Et utrum subsequenter illa mea in Comitiis, non tàm contradictio, quàm nimiæ nimisque securæ præcipitantiæ remora, atque petita ad pleniorem totius Reipublicæ super hac materiâ rrutinam dilatio, Crimini obnoxia fuerit, vel tanta odia ac vindictam meruerit; Supersedeo pensiculatiùs recensere, quidnam totis Comitiis illis actum? Qualiter theatrum publicorum Consiliorum in forum ementium ac vendentium conversum? Qualiter corrupta nuntiorum, ne Commissis Palatinatuum tenaciter adhærerent, Fides? Quales *Voci liberæ structi laquei?* Quæ convulsiones *Legum* ac *Libertatum*, conversionisque Juris in vim jacta principia? Hæc omnia omnibus plus nimiò (non sine bonorum gemitibus) patent. Finitis verò Comitiis, tametsi publicè ejurata fuerit etiam mentio tam odiosi Reipubl. & fatalis nominis: Vocati sunt nihilominus rursus Senatores ad ferendum Consilium de modo suscitandæ Electionis, cui & ipse flagrantibus invocatus literis bis interesse debui, toties quoties protestatus, quòd quemadmodum ante expedire censueram designatione successoris mala Interregni avertere, ita paratus ad præsens sim idem assensu firmare, & per Civilia Media Nobilitati proponere, dummodo id fiat debito & legitimo ordine, consentiente totâ Republicâ, ac præcustoditâ sufficienter conservatione Liberæ Electionis Statusque Reipublicæ.

Quod ius decorum.

Quæritur modus resuscitandæ Electionis.

Ita per varia consilia & circumferentias transactus est Annus, donec sequentibus Comitiis Respublica Lege prohibitivâ sopiit & sepelivit invisam hanc Materiam, & Scripta occasione ejusdem quomodolibet ac cum quocunque intercedentia cassavit & annullavit.

Hac occasione libet pauca profari de Subscriptionibus pro parte *Ducis Condæi* obtentis, ex quibus Serenissima Regina Mea duntaxat ac *D. Leszczynski ViceCancellarii Regni Moderni*, suppressis aliis ferè omnibus, in privatâ Audientiâ ad conciliandum Nobis odium & Invidiam ostentat. Non diffiteor, in eo scripto (quod potissima pars Senatus ac ex Ordine Equestri plurimi Insigniores subscriptionibus firmarunt) Me quoque Nomen Meum apposuisse. Verùm id quo gestum est pacto paucis expono.

Postquam communi consensu tot ex utroque ordine Civium definitum est, quòd expediat mala Interregni designatione successoris antevertere, & concordibus suffragiis in *NEXUM* supra memoratæ *Confœderationis* itum fuit, convocat *Illustrissimus Regni Primas Senatores* & quicunque *ex Ordine Equestri Varsaviæ* tunc reperiebantur *Nobiles*, ac Propositione facta aperit, non sibi videri sufficienter consultum Concordiæ inter Cives consensu in designationem, si deinceps variantibus de Persona eligendi sententiis, scindi deberet illa animorum unio, expedire profectò deliberatione præhabitâ concludi de subjecto. Post longas ultrò citroque Propositiones, Discursus ac emolumentorum vel discriminum ac Incommodorum hinc inde collationes, Tres in tota Europa visi sceptro Nostro idonei. *Dux Angianus filius Condæi Ducis, secundus Dux Eboracensis Regis Angliæ frater*, & *Dux LongaVillanus*, ita ergo tunc conclusum, ut unum ex his tribus Amoribus Nobilitatis sensim instillaremus, ac debito demùm tempore concordibus suffragiis Reipublicæ commendaremus.

Occasio subscriptionis passim per Serenissimam ostentatæ.

Tres visi Candidati idonei sceptro nostro

Visum est eidem *Illustrissimo Primati*, ut definitas conformiter Propositiones non modò ad firmiorem rei memoriam sed ad stabiliendū arctioris ad invicem unionis vinculum additis nominibus adstrueremus; Placuit idem cunctis ita opinantibus, scriptum illud fore Arcanum firmatæ inter Cives concordiæ pignus, non verò publicum competitoribus Prætensionum in Regnum Instrumentum, & in *Archivo Illustrissimi Primatis* (non in scrinio Reginalis Majestatis) asservandum.

Contra datam fidem factum.

Atque hæc est genuina rei actæ series quam descripsi, palamque recognosco non fuisse Intentionis meæ, ut illâ subscriptione, non modò Reipub. verùm proprii quoque sensus Libertatem vellem aut possem obligare, cum mihi semper serviat Libertas amplectendi ea quæ Reipublicæ commodant, ac respuendi quæ nocent.

Cur autem scriptum illud à Civibus amore concordiæ conditum, ac eosdem concernens extra evolarit, indebitisque ac forsan externis hodiè teratur manibus, reddant rationem hi quorum fidei ac deposito concreditum fuit. Ego Deum testem appello, quòd in hoc passu prodesse Reipub. non obesse volui, & factâ maturiori trutinâ id totum egi, quod ad conservationem boni publici & Prærogativam *Liberæ Electionis* conducere sensi; quemadmodum id ex Articulo Balatinatus Cracovien: suprà posito, ex gestis meis toto *Comitiorum* tempore, ex ulterioribus circa *Electionem* (qui infra explicabuntur) tractatibus, ac denique ex hac tam gravi & toto orbe inauditâ colligi potest & constat oppressione.

Scriptum id contra mentem Procerum, Reginæ extraditum.

Jam ergo conquiescit Respublica Lege latâ sopita, siletque publicè *Electio*, verùm glíscit privatim, multò periculosiùs: Namque in contemptum legum, formantur occultè ante *Conclave*, Concilia ut publico malo resurgat. Quæritur per armatam *Confœderati Exercitûs multitudinem*, quod Togati renuêre Cives; Prensantur privatim, qui publicè contravenerant, & amotâ spe assequendi ordinariâ per assensum districtuum ac Comitiorum viâ, tentantur illegitimâ ac illicita.

Novus modus resuscitandæ Electionis.

Gloriabantur publicè sequaces Aulæ in Commissione *Leopoliensi Poloniam* deinceps non *Statutorum* sed *Statistarum* nescio quorum *Advenarum* regimine moderandam; Et quidem patet abundè, cessasse statutorum Jus; quisquis enim faciem Patriæ hujus inspexerit, audacter dicere poterit: *Ecce nunc novâ facie omnia*, Constitutiones & Leges antiquæ, desvetudine vel contemptu abrogatæ; *Richelii* & *Mazarini* conceptus ac maximæ appretiantur. Mores antiqui jocis & ludibrio expositi; *Alamoda* regnat in amoribus & votis.

Tempora Statistarū.

Hinc cum Leopolim ad Commissionem venissem, unicum discordiæ & consitis inter Cives suspicionibus censui superesse remedium, idque publicè in Senatu proposui; ut siquidem *Electio Lege abrogata capue attollit*, ac Rempublicam clandestinè turbat, omnes *Leopoli* tunc præsentes *Togati sagatiq; Cives*, & quicunque absentium deinceps nomina dare voluissent, *Confœderationem* iniremus, ad quemcunque Electionis in posterum Fautorem ac Innovatorem comprimendum, quatenus talis velut publicus Patriæ hostis junctis viribus tolleretur. Quòd meum consilium quali exceptum fuerit animo, & quantum mox odium contra me exarserit, facile colligitur ex hoc scripto, quod hic ex authentico insertum sequitur.

Consilium optimum.

Electionis intentioné faciens pro perduelli habeatur. Hinc summa odia.

Amicorum Intime.

Nescivi quod Illustrissimus Dominus Patronus *urgeat, quatenus hic solennis & subscriptionibus munita fiat Declaratio, ne quispiam in vita Principis de Electione cogitet; si idcircò ut materia hæc totaliter mortificetur? Satis equidem cautum Constitutione, & semper ad hunc stipitem componi poterit qualiscunq; placuerit ignis; Videtur invalidare*

De quibus per literas præcludenditur & ut supersedeat ab impedítione Electionem suadetur.

lidare Legem quisquis nimias addit cautelas. Quid prodest tam anxiè isthæc præcustodire, quando vel mutatio genii Serenissimæ Reginæ, vel mors ipsius, vel etiam rebus sic stantibus, grave aliquod Reipub. emergens, potest Nos vel invitos in eadem vota impellere? Quid prodest omnibus Exteris curam eximere & odium nostri conciliare, dilatâ spe in infinitum & in turbas? Si idcirco ut contineatur externa vis quam formidamus! nondum video talia documenta quæ nos justè terroris impleant: Nam si hæc vis incerta est, quorsum Nobis indies magis præcidamus Libertatem agendi? Si verò certa, nullæ subscriptiones nec Diplomata possent avertere Dominantes, ab his de quibus jam cum exteris tam firmiter pacti essent, ne armis & bello intenta prosequerentur; Si idcirco ut eo pacto reinducatur Confidentia inter Principes ac ordines imminuta, & deinceps agitetur Electio ista debitis modis? Inprimis ambigo utrum semper feliciter succedat, si quis eà intentione frangat aliquid, ut firmius agglutinet. Deinde quæ utilitas Illustrissimi Domini Patroni *hinc secutura, si odio proprio conciliet Dominantium cum statibus Confidentiam, quam ipsemet eo modo nunquam assequetur! Facile Regi persvaderi potest quidvis contra Electionem, qui nullum in ea proprium emolumentum respicit; Regina quoq; credo, quod lassa irrito tot conatuum eventu, cernens absq; Illustrissimo Domino destinata sua non posse perfici, & nesciens utrum Illustrissimus suffragia sua eidem adjungere velit (quemadmodum semper magis formidat adversa quàm delectatur secundis) deponet curas inutiles; Verùm Serenissimus* Honorem, *& Regina* Interesse *Domus suæ, Reputationemq; apud Exteros læsam, in æternum vindicabit, datis contra Illustrissimum Instigantibus, tametsi supersedeant hi qui aut ab Illustrissimo sunt aversi, aut Exteris obnoxii. Quæro iterùm, quid prodest Illustrissimo manente Dominantium odio conciliare Reginæ Amores Populi per tales declarationes? Sub Interregno, scio, stabiliret res suas Domusq; suæ Illustrissimus; Verùm quis sponsor, tantum eidem concedendum vitæ, ut Reginæ supervivat? eo verò tempore quisquis & quocunq; modo succedat, vindicaret in filiis Illustrissimi interversas & dilatas spes suas: Nam ausim id juramento adstruere, quod toto mundo Illustrissimus Author eorum vulgabitur quæ hic decidentur. Talis declaratio posset satisfacere partibus si ex composito ac inconditicto transigeretur, scilicet si Regina assecuraretur, & certa fieret, cuncta idcirco agi, ut post redintegratam confidentiam negotium electionis reassumi possit; alias sub cinere doloso glisçent ardentissimi ignes, odii & vindictæ, contra Illustrissimum, Prolem, Amicos, Famulos, & hinc infallibilis in publicum motus. Interim D.T. benè valere cupio.*

Generosæ Dominationis Tuæ Amicus.

N. N.

QUid deinceps Mecum actum sit per eam occasionem in Commissione, infra patefiet cum stupore totius orbis; nunc ea duntaxat quæ Electionem concernunt compendio finio, ut omnibus pateat veritas & virtus, tum Mendacium & calumnia dolosa.

CAPUT VI.

Variæ præmonitiones Magnorum etiam Virorum ratione Odiorum Reginalis Majestatis, quorum placandorum unicum remedium proponitur consensus in Electionem.

Invitatur Varsaviam

MOvit interea Serenissimus Rex ad Castra, & ecce iterùm veniunt Invitatoriæ *Varsaviam*, quas cum semel, iterùm, ac tertio ingestas variis prætextibus elusissem, mitto tandem sciscitatum, quænam tam urgens adventus mei sit causa? Cui quid responsum sit, infero hic transsumptas ex authentico literas, quas Reipub. præsentare teneor & obligatus ero.

Illustrissime Domine

Litera declarantes quantum præsentia sit necessaria Varsaviæ.

P*Ræsentia Celsitudinis Vestræ quantùm & cujus rei causa sit necessaria, credo quòd per se liqueat, & satis per me in præteritis literis patefactum sit. Verùm quandoquidem à Me Celsitudo Vestra nunc causam expressè requirit, verbo absolvam; necesse est huc commeet. solidæ cum Reginali Majestate sanciendæ reconciliationis gratia; post hanc cætera sequentur facillimè & ultrò, absq; hac sequitur longus Ordo malorum in* Personam, Domum, Amicos, Famulos Celsitudinis Vestræ, *& tandem in Publicum. Impossibile mihi videtur Celsitudinem Vestram dissensurum, quandò super actis hujus bienni sedulam defiget considerationem. Non puto me scripsisse ad* Illustrissimum Dnum Capitaneum Scepusiensem, *quasi Celsitudini Vestræ impendeant aliqua vitæ pericula; nondum enim in Polonia extant talium exempla; quod si scripsi, ea duntaxat pericula intellexi, quæ valetudini imminent adesa continuâ disgustuum apprehensione anxietateq; animi, sine exitu & sublatâ mentis tranquillitate. Verùm illud scripsi & scribo, quia prævideo ingens discrimen, & grand discapito* Honorum & Fortunarum Celsitudinis Vestræ. *Quis enim hæc non provideat? Dum interpellatur & suspenditur usus munerum Celsitudinem Vestram concernentium? Dum quod petis non tantùm alter sed inimicus habet! Dum ne celatur quidem quod eusdem maneant Præminentiæ quæ usu, Ordine, Promissis, & Meritis Celsitudini Vestræ debeantur! Dum deniq; pæne* crimen est censeri Amicum & Famulum Celsitudinis Vestræ! *Non id disquiro utrum ista ex æquo fiant, sed quia fiunt, & quidem fiunt cum successu, & ferè cum applausu! Abrumpenda est hæc tela ne diutius sinuetur: namq; ad extremum iniquissima speciem recti habent, si successus & approbator Populus accesserit. Omnibus his non video quod aliud scutum opponi possit præter Reginalem Majestatem, in qua cum videam quo ad hanc causam motus &c. & Inclinationes, ò quantùm illa optarem. Non despero fore ut Deus me meliori fortunâ Celsitudinis Vestræ soletur. Varsaviæ 24. Novembr. Anno 1663.*

ACceptis hisce literis, destino *Varsaviam* Amicos ad placandum Animum, ne quid in Me desideretur debitæ submissionis, neve silentium pro abruptâ Contumaciâ traductum motus in publicum cieret. Do eisdem Instructionem, ut excipiant tantummodo & ad me deferant Commissa. Significant ergò illi, veram & integram reconciliationem non posse succedere, nisi approbem *Electionem* & diffuta redintegrem; Ad hæc in *Gallias* secretò mittam *Internun-*

Reconciliatio sine Electione impossibilis proponitur.

tium Meum ea quæ hinc condicta fuerint laturum; Hæc enim formalia in literis unius ex Amicis *Varsaviam* tunc Meo Nomine destinatis expressa productum Me Reipub. offero & obstringo, ratione verò scripti quod à Me exigebatur produco contenta literarum.

Illustrissime Domine

Literæ quibus expostulatur scriptum ratione Electionis.

PErillustris *Dnus Archidiaconus Pilsnensis paucis ante Me diebus* Varsaviam *invectus obtinuit jam declarationem circa ea ratione quorum advenerat, & dabit Celsitudini Vestra plenam in omnibus informationem; Verùm, ut video, iteratus ejus huc adventus ingrato animo est susceptus: nam ante conceperat quandam spem, qua præsenti Perillustris Dni adventu corrupta est; unde in longiore die hodierno audientiâ, multa mihi opposita sunt, de minùs addicto Dominantibus Celsitudinis Vestra animo, de Ingratitudine tot Gratiarum immemori, quæ potissimum fluxere ex promotione Regnalis Majestatis; de insincero cum Serenissima progressu, quo Celsitudo Vestra in negotio Electionis processit, cum primus illius Inventor esset ac Motor, quæ quia sigillatim scribi non possunt, ideò oretenus intimanda asservo. Conclusio tracti mecum sermonis illa fuit.* Velle se omnium disgustuum obliterare memoriam, dummodò Celsitudo Vestra corrigat quod destruxit. *Replicavi ego ad singula prout scivi, & conscientiâ virtutis in Celsitudine Vestra agnita animante potui; Verùm sermo meus & quivis alius locum non reperit, obstante forti apprehensione rerum ab illo capite in contrarium digestarum; Pollicitus sum nomine Celsitudinis Vestra quòd demerenda Reginalis Majestatis causâ Celsitudo Vestra, omnia illa contestari parata sit, quæ juri & Juramento Senatorio consonant; quod si Regia Majestates modum adinvenerint, suscitandæ per pacata & non violenta Media Electionis, quam Constitutio funeravit, Celsitudo Vestra non modo à præpedimentis omnibus abstinebit, sed collato cum amicis consilio enitetur,* ut Electio subsistere *possit, dum modò ea in commodum Reipub. redundet. Quæsitum à me, quis horum futurus sponsor, quave Certitudo Celsitudinem Vestram hisce staturum? Produxi certitudinem pendere hinc, quòd subditus sese obliget, qui totus cum tota Domo, sanguine, Amicis dependet à Gratia Regiæ Majestatis, quiq; si in odium Regiæ Majestatis incurreret, perenni exitio sese ac omnes illos involveret. Præterea intuli, quòd illo Pollicita exequi detractante, testimonium multorum Amicorum, quibus de ejusdem constaret pollicitis, valeret ad convincendum illum. Replicatum adhæc multoties, jam parta intercessisse promissa, quibus tamen hactenus contraventum.* Requirit idcircò à Celsitudine Vestra Scriptum tale, quo dato in Manus Reginæ Celsitudo Vestra resilire nequeat, *& propter multas consequentias cogatur submissioni morem gerere; & hoc est unicum quod prò solidissimo Reginalis Majestas habet, reconciliationis fundamentum. Respondi ego absolutè, me diffidere quin tale Scriptum à Celsitudine Vestra elici possit. Addidi insuper, Celsitudinem Vestram optare, ut reconciliatio firma ac tractatus in hac materia (si forte institui deberet) Serenissimo Rege præsente transigeretur alias sine scitu ejus in tales transactiones neutiquam Celsitudinem Vestram ingressuram. Replicuit* Serenissima Regina; *quin imò si quidpiam boni operari in favorem mei Dnus Mareschalcus intendit, Serenissimo primùm Regi oportet persuadeat Electionem ex usu & commodo Reipub. fore; se enim id Serenissimo proponere non audere, nec de facto insinuaturam; opus proinde esse ut* D. Marischalcus *junctis cum cætera procerum manu precibus,* Serenissimum Regem *solicitent, quatenus in reassumptionem Electionis consentiat, quandoquidem ei Serenissimus contrariatur. His dictis licentiam abeundi petii à* Serenissimâ Reginâ, *pollicitus in crastinum manè me ad futurum, quemadmodum adero; respondit, venias licet, venientem libens accipiam, verùm nil amplius à Me expecta præter ea quæ audisti &c. Varsavia Die 5. Junii Anno 1664.*

In scripto requiritur assecuratio.

Hæc

HÆC tam illicita, Honoremque & Conscientiam Meam perimentia responsa, adeò intimè transadegerunt cor & Animum Meum, ut postremo dolore stimulante talibus literis infelices hosce tractatus terminare maluerim, qualium exemplar hic adnecto.

Magnifice Domine, Domine & Amice

Literæ Illustr. Marschalci, quibus declarat nunquã in majori odio fuisse Electionẽ quam nunc

DE *communicatis ab* Ukraina *novis gratias habeo: nam jam diu per meos Literarum postitores nihil accepi; feruntur quindecim circiter tabelliones mei periisse.* Piestrzecki *meus rediit ab* Illustrissimo Dno ViceCancellario Regni, *quod nunquam occului D.V. convenit etiam* Illustrissimum D.Castellanum Posnaniensem *& plures alios; namq; illum* Posnaniæ *per aliquot hebdomadas morbus detinuit. Ita divinabam fore ut hæc quoq; legatio inter crimina mihi objicienda numeraretur; Sed nescio cur tolli deberet inter Cives illa correspondentiarum Libertas, quorum unio conservat unionem & salutem publicam. Hoc quod D.V. Reginali Majestati retulit non dubitabam haudquaquam gratum futurum, non tamen ex illâ quam mihi D.V scribit ratione: Namq; &* D.Capitaneus Radomiensis & Rendus D.VVoienski *(prout illorum literis deducam) nullam illic tractandi sed audiendi duntaxat habuere facultatem propter Invitatorias tam ardenter à D.V. scriptas, magis ad Dnũ Vestram, quàm ad Reginalem Majestatem missi. Illud recognosco; quòd gratiam Reginalis Majestatis unicè veneror, eamq; mihi contingere post Divinam ac S.R. M. gratiam primario opto. Verum non hoc pretio, quo D.V. licitata est:* namque ita non solùm gratiæ sed vitæ dispendia pati priùs malo, quàm Legum Patriarum prævaricatione & fidei juratæ violatione fædari. *Quia verò D.V. promisi communicare sensus circa idem Civium, idcircò sciat velim* nunquam hanc Materiam Electionis majori odio publico obnoxiam fuisse, atq; est ad præsens. *Prudentissime igitur* Serenissima Regina *faciet, quando rem abrogatam Lege, & odio universali explosam radicitùs è corde evellet. Tranquillitatemq; publicam & privatam donare eo facto Patriæ dignabitur, nec non & mihi particulariter, qui cum sim unus ex Civibus, & quidem Jurium ac Patriæ integritati consulere semper solitus & obligatus, &c.*

Magnificæ ac Generosæ Dn. Vestræ
Amicus & Servus
Georgius Lubomirski Mpr.

ET hæc sunt crimina mea, ratione quorum per Libertatis & Justitiæ violationem, eversionemque Status Reipub. processit ad *ultionem* futens ambitio. Completæ sunt abundanter intentatæ (de quibus præcustodiebar) Minæ tam verbales post exacta Comitia & circa Commissionem, quàm hæ de quibus docui literales. Uror ardentissimis ignibus vindictæ, sub cinere doloso Justitiæ palliatæ; Incubuit mihi ordo malorum longus & exquisitus contra *Me, Domum, Amicos, Famulos*, catenatâ serie digestus, qui publicam tandem petit & tollit salutem.

Virtus hoc... Sprevi oblatos Milliones, sprevi pinguissimas pensiones, Magistratus,

Arcium

Arcium Præfecturas, ultrò domum meam illatas,ut fidem juratam Patriæ conservarem; non sum territus tam magnis & parentibus minis, quia magis Patriæ quàm vitæ meæ timui,*pluris Jurium ac Libertatum,quàm fortunarum & Dignitatum,jacturam feci*; Novissimè extrema perpendi honoris, salutis ac vitæ pericula,non infregêre Constantiam Meam. Seculo rarus.

Requirebar sub tempus illorum *Comitiorum*, quæ convulsarum jactura Libertatum,& Justitiæ neglectus,sæculorum insiget memoriæ,ut rursus mediis iisdem Negotiatoribus per secretos tractatus pacisceret, ut palam & ad speciem per Senatus intercessionem, privatim verò per Confidentiores Personas componerem. Offerebatur mihi utricus tot malorum exitus, ut ad dandam negatam hactenus chartam induci parerer; nihil enim aliud impendentem procellam (verba sunt ex authentico desumpta) sopire posse, non tamen cessi huic turbini,& individuus virtutis ac veritatis Assecla intrepidè restiti.

Nunc quoque Exuli ac Patriâ pulso,non modo restitutio omnium quæcunq; deprædata est Iniquitas, verùm insuper in recompensam Augmenta fortunarum,Incrementa honorũ,intimæ confidentiæ, Aulæ Regimen, Arbitrium distributionum ac Munerum,misso ad eum effectum consultò Magni nominis viro,promittebatur, dummodo efficerem ut pacifica *Ducis d' Angvien* concluderetur *Electio*, dum modò Interventore *Duce Condeo* de Fortunâ meâ tractarem,& seriò ac efficaciter vota Interesseque illius promoverem. Quod profectò non negabit unquam Eques ille qui Legatione hac fungi coactus fuit. Etiam Exuli Augmenta fortunarum promittuntur,Regimen aulæ Propter Electionem.

Hæc igitur est compendiosa Actorum de Electione germana ac substantialis series,quam ex Fide jurata Senatoria,non in vindictam adversantium,sed in testimonium Virtutis & Innocentiæ Meæ, teste Deo & Conscientiâ, his in scriptis promulgo. Paratum me offerens semper Reipub. si ita amans Justitiæ fuerit,& in gesta introspicere,Filiumque sui causa per passum sublevare voluerit,omnia & singula prædicta,hîc tantummodò per copias extracta (quæ sigillatim etiam unicuique monstrare non gravabor) authenticis documentis adstruere,probare , & authorizare. Quomodo verò illæ adeo rabiosæ Malitiæ minæ,& quàm exoticis in me complexæ sunt modis,in subsequentib' exprimo.

CAPUT VII.

Varia fulmina erumpunt. Exercitus Confœderatorum incitantur. Cham Tartarorũ solicitatur,ac ipsamet Persona diversis cõtemptibus appetitur. Famosis libellis proscinditur.

ANno 1661 quo infausta hæc de Successore Materies producta in publicum Comitiorum theatrum, interventione Bonorum Civium, expetitum tantâ votorum ambitione non est sortita (quemadmodum ab iratâ fortunâ solitariâ non veniunt mala) *Confœderatio Exercitus* cum suis pullulavit primordiis. Origo ejus unde fluxerit,illorum scire interfuit,qui regimẽ Exercituum S.R.M.à Ducibus concreditũ tenuêre,aut præsentes prima illius incunabula,motus,obtentus,seu rationes progressumq;,usq; dum per universam diffunderetur Sarmatiã,observavêre,Illud certò constat, oblatam tunc optimam occasionem illis quispe perficiendarum suarum circa *Electionem intentionum* ebrii , & post eandem Lege publicâ abolitam irâ cupidineq; vindictæ furentes , momentis & opportunitati inhiabant , quam quo studio Aula arripuerit,& manibus pedibusq; prensaverit, ulterior progressus palam faciet. Confœderationis militum Anni 1661 Origo. Cujus causa instituta.

 Duplici

Duplici viâ insinuavit sese Aula in *NEXUS* istius Conferentias, ut vel Exercitum sibi partibusque suis obligaret, Mihi verò infensum redderet, unde infallibilem & fortunatum Intentionum suarum seqvuturum sperabat eventum. Vel si hæc non procederent, nec Miles, partim ingestis corrumpi muneribus, partim secretis practicis trahi in damnum Reipub. valeret, saltem eundem in nocumenta ruinamque mei impelleret; eâ spe freta, quòd dum naturali instinctu securitati Fortunisque meis prospiciam, Exercitum resistendo irritabo, & per consequens, tanquam contrarius ac furens contra *Nexum*, sub Justitiæ pallio subverti facile potero. Ad hunc igitur unicum scopum, omnia

Falsa impostura.

Consilia, Vires, Media conversa; Atque hinc processit ille primus per subjecta ordinata concitatus fremitus, quod ego avitas Exercitus Prærogativas aboleverim, *Nomen Commilitonis, Libertatem Militaris circuli* sustulerim, & penè Exercitum in Sclopetarios Germanicos, vulgò Draganos ac Raytaros, converterim. Hinc illi Notarii Exercituum Campestris jam demortui, ac *D. Jablonovvski* per *Prokulbicki & VVadovvski* sparsæ traductiones, quas cum in sequentib' Comitijs in facie Deputatorum à Repub. ad id negotii Senatorum ac Nobilium Terrestrium, tum & Legatorum Exercitus propudiosè negâssent, Meq; deprecari coacti essent, convicti iterùm à Militaribus qui audierant Vitis, bis turpissimam Mendacii ac calumniæ notam incurrrête. Hinc illa Sacræ R. M. ad

Concitantur milites per S. R. M.

Milites Plociam tentantes verba: Cur non properatis Lancùthum? en Duces Vestras pecunias quas receperunt in convivia ac commessationes prodigunt. Idem aliis quoq; Militibus in Divisione D. Czarnecki merentibus eadem Majestas dixit: Duces Vestras pecunias in luxum ac ebrietatem convertunt, cur bona Marschalci non occupatis? Iste Vobis causa horum omnium, iste thesauros Reipub. sustulit & restituere detrectat. Hinc in Commissione Leopol. coram Exercitu instituta accusatio,

In Commissione accusatur. Pro bono opere liquidatur.

quod circa parietem Gazophylacii, ubi insignia Regni asservâtur, in Arce Cracov. vetustate dehiscentem & ruinæ proximum (*prout mihi Commendator pro tunc Arcis & Urbis Crac. Generosus D. Stanislaus Kalinovvski vir incorrupta fidei detulit*) excubias disponi jusserim, eaq; de causâ læsæ Majestatis actio instituta, quæ indubiè, si Exercitus Instanti Malitiæ annuisset, per processum & strepitum Juris ad sententiam usq; damnationis fuisset producta. Hinc dum ad Commissionem Leopolim venirem, Deputati Exercitus ne obviam Mihi procederent (*tametsi illi omnium negligentes ultrò honorē hunc Mihi uti Duci præstiterunt*) per factiones solicitati. Hinc rumores, quòd quatuor Militum millibus succinctus Leopolim contenderem, (quæ tamen falsa fuisse tempus docuit) sparsi, & per *D. Castellanum Belzensem* eo nomine querelæ coram Exercitu interpositæ, utq; periclitanti Majestati succurrere vellet, oratum. Hinc in privatis audientiis per schedulas exhibitas, Delatoresq; subordinatos, Fides in dubium vocata, ac reputatio per omne nefas traducta, quorum omnium authentica apud me extant & asservantur documenta.

Atque hæ fuêre artes, quibûs Me austura circumvenire Malitia, ac colligati Exercitûs vires in ruinam Mei transferre gestiebat; quæ cum non procederent, & Deus Innocentiæ ac virtutis vindex, impelli me in opprobrium adversariorum non permitteret, sed auxiliati manu contra tam validos & vix auditos insultus tutaretur; Cumque Exercitus ipse qui sub primos Confœderationis ortus (quemadmodum infra patebit) tanto in Me fervebat odio, ut annum integrum in continuo vitæ & fortunarum periculo degerem, animadversis Aulæ figmentis, sensim ex præconceptâ de me sinistrâ opinione remitteret; Itum est ad aperta oppressionis meę, nunquā ante in Polonia auditę, tentamina.

Animadversis Aulæ figmentis Exercitus mutat animum.

Inducebatur promissis *A. R. Stephanus Lipski Præpositus Jezoviensis*, ut Me authorē inculparet sermonum, quos Milites Cohortis, quæ tunc *Jezovia* stativa habebat, ructante potu, & rationem absorbente, dignos omni pœnâ effutierant; quod tamen ille tanquam vir Natalium splendore conspicuus, & Veritatis virtutisque tenax, facere detrectavit, quemadmodum literæ illius testantur suo loco producendæ.

Ad falsa testimonia A. R. Lipski solicitatur

Solici-

Solicitabatur *VVysocki è Legione Illustr. D. Palatini Braclaviensis* Stipendiarius Miles, & nescio quis *Zaleski*, ut Aulæ Meæ adscriptus, qualicunque modo insidias vitæ meæ tenderet, & dolo aut veneno incogitantem tolleret; cujus rei documentum authenticum manu illius scriptum paratus sum proferre, ac insuper illum ipsum Reipublicæ sistere. Percussores subordinati.

Formabantur in vitam meam nocturna Consilia, jamque & modus conclusus & sicarii empti aderant; occasio tantùm expectabatur, ut exorto in Castris aliquo tumultu vel rixa, ad quam componendam ex munere meo procedendum mihi esset, opportunum irruendi tempus affulgeret, quod testimoniis Insignium virorum tàm ex ordine Senatorio quàm aliorũ, à quibus de majore præmonebar circumspectione, deducere semper sum paratus. Cædes perficienda destinatur.

Quid memorem *Tartaros* ut igni ferroque ditiones meas delerent secretis tractatibus tentatos? Publicè enim *Cancellarius Regni Nicolaus Prazmovvski*, & quidem singulari cum plausu gustuque in præsentiâ *Illustrium Virorum Leopoli* jactavit, brevi fore ut Possessiones Meæ Terrestresque fortunæ immissis ignibus collucerent. Ad eosdem *Tartaros* missa fuit Legatio, additis contra me querelis, quasi Regios in *Polonia* Fasces, absente Serenissimo occupassem & revertenti è *Lithuania* Regiæ Majestati, octodecim millibus Exercitus succinctus aditum Regni intercipere moliretur, in quo puncto destinatus ad Me fuit Internuntius à Chamo Tartarorum, qui mihi literas reddidit quas insero. Tartari evocantur.

Illustrissime Domine Campiductor
Amice Noster.

REX Serenissimus Frater noster motis Exercitibus, intravit terram Hostilem. Nos etiam notam habentes Vestram fortitudinem & resolutionem, cur domi hæreatis opportunitate postpositâ, scire non possumus. Vicini Nobis suggerunt quòd Campiductor propter Contumaciam remanserit; quod si ita esset, quemadmodum Vobis, ita etiam Regno Vestro bene cedere non posset. Est Vestra Dnao Vir in Regno Poloniæ inclytus, cum quo & Juramento Amicitiam sancivimus; incumbebat ergo cum tota Repub. Polonâ, sub tale tempus omnibus Nobis unanimiter belli tractare negotia. Tu verò, Amice Noster, alias tibi adinvenis occupationes. Nos providemus ut Regnum Vestrum pace fruatur; Vos autem aliorum hominum incitamentis abripimini. Unde nunquam benè esse potest. Rex Serenissimus Frater Noster ipsemet Danubium transiit; tumultus graves concitavit in Ukraina Syrko. *Nos igitur licentia huic obviantes destinavimus* Szerem Beium *eum triginta millibus in Ukrainam, & Tibi incumbit, Amice Noster, junctis cum Legionibus Nostris Viribus compescere hanc licentiam; Nos quoq; in Personâ Nostrâ brevi illas Legiones consequemur. Quòd si verò Dnao Vestra aliis distracta sit occupationibus, amicè poscimus velis quàmprimùm significare de omnibus per Tuum Ablegatum. Cui Nos Valetudinem & omnem felicitatem precamur. Bakcysarai 28. Maji 1664.* Literæ à Magno Cham Tartarorum.

Vestræ Dni Addictus Amicus

Mechmet Gerey Cham Mpr.

Judicet hîc unusquisque, num æqvum sit talia monitoria ad Senatores dirigi, & num competat talibus imposturis confundere Rempub. ab intra, & in Exitium Civium Tartaros armare & animare; namque procul dubio si in exitium mei renderent, magnam partem Provinciarum Reipub. necessariò percurrentes, eodem fato involverent.

Falsa objectio. Hæc verò calumnia de lecto Exercitu & mihi circumfuso, quod ne minimum veritatis colorem habuerit, toti constat *Polonia*, nec indiget refutatione; nunquam enim rarior circa me frequentia atque tum, studio ita composita ut evitarem omnes suspiciones, palamque facerem quàm mendaciter adversus me insurgunt labia iniqua & lingva dolosa.

Exercitui Regis Stativa & Castra in bonis hæreditariis designantur. Verùm nondùm Irarum finis. Castra enim Exercitus noviter *Leopoli* collecti ita progredi sunt jussa, ut tota vis meis incumberet Possessionibus, jamque ad eum effectum Metator Castrorum protune, *D. Sokolovvski* cum *Jaroslavia* esset, ponte Flumen *Sanum* insternere parabat, productis super eo S. R. Majest. literis universalibus, & situm progressumque Castrorum ac Stativa Exercitus, quâ ducere moris *Jaroslaviâ* Legionibus deberet, publicè disponebat, quod testimonio Incolarum terræ illius comprobaturum Me offero. Et nisi Exercitus Colligati transmissâ ad *Zavichostum* Vistulâ, destinata talia præpedissent, procul dubio Ditiones meæ Exercitu infusò obrutæ, per iam abruptam malitiam, ad incitas redactæ fuissent; Ad quod verificandum insero literas à *D. Notario Castrensi Pramüliensi ad Piestrzecki* directas.

Generose Domine Piestrzecki Dne & Frater Colendissime.

Literæ de talibus me ditatis. *Tam jucundos qui è præterito Colligati Exercitus Militari circulo* Zavichostiæ *celebrato emanaverant rumores, memorabilis quadam confudit Metamorphosis: Nam loco concordia Militare undiq; intonat classicum, & S. R. Majest. circa feriam tertiam moto Exercitu castra ad* Jaroslaviâ *transferet, Jamq;* Sokolovvski *quidam venit designando Castrorum situi, quibus locum inter Jaroslaviam &* Komaczovvum *super* Laziis Tarnaveeen: Illustrissimi D. Subdapiferi Regni *hareditariis in viciniamea destinavit. Perstrinxit id nos omnes, quòd tam incompetens electus sit locus, quasi ex composito aliorsum hac tela intorquerentur, quàm quò vibrari deberent. Spargit idem Castrorum Metator Exercitum per omnes* Illustrissimi D. Marischalci Dni & Benefactoris Mei Possessiones progressurum, *si & in quantum* Illustrissimus Dnus *nollet Regia castra sequi, ratione cujus* D. Dapifer Parnaviensis *debuerat convenisse* Illustrissimum Dnum Patronum. *Per jura sacra illius confidentia toties à Dne Vestrâ mihi testata, qua me ultra merita mea ornat & solatur obsecro, digneris confidenter præmonere quid facto opus sit &c.* Audivi ego *id nihilominus, à quodam Aula arcanorum conscio, & intimo confidente, ante prætacti Militaris circuli absolutionem,* quòd tametsi Exercitus Colligatorum, nescio quàm complanabilibus mediis transigere eisque acquiescere vellet, repertura sit tamen Aula prætextus, quos objiciat, & minus Dignitati suæ consultum censetur, idque eo animo ut destinata sua per inductionem Belli Civilis prosequi valeat. *Submissè oro, edissere Parabolam, & me digneris resolvere, num certò nostris Regionibus Castra hac immineant &c. Datum Piveda 10. Junii Anno 1663.*

Vestræ Generosæ Dnis Addictus

Frater & Servus

Alexander Jastkovvski Nota. Castr. Præmisl.

Obedientia Militiâ subtrahitur. PRætereo qualiter S. R. Maj. ad *Javorovo* ore proprio Exercitum mihi tanquam Proditori dicto audientem esse vetuit; qualiter deinde accessu ad Majestatem suam pænè interdixit. Testantur id literæ Illustrissimi D. Witovvski Ca-

ki Castellani Sandomirien. quibus me certiorem reddit, Regimen Exercitus è manibus meis subduci ac denegari. Essentialia literarum ad præsentem materiam spectantia hîc attexo.

Illustr. Dne Marischalce Regni
Domine mi observandissime.

MUlta ego tuli causâ Celsitudinis Vestræ improperia; ubiq; tamen tanquam immutabilis Amicus perstiti, tempus reliqua Celsitudinis Vestræ pandet & revelabit. Cupiebam inprimis mediante Illustr. Primate Regni, Celsitudini Vestra Majestatem Regiam conciliare &c. adii deinde Regiam Majestatem valedicturus, illic post multos sermones (quos alteri servo loco) dixit Regia Majestas: Ego hic regimen D. Marischalco non concedam; sedcum dixissem, utrumq; Ducum ad obsequia Regia Majestatis Vestra adfuturum, qui Deo favente NEXUM dissolvant, ac Exercitum ad bellicas operationes traducant. Respondit demùm S.R.M. hoc est aliud &c. — Quod probatur literis.

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Addictissimus
Amicus & Servus
Stanislaus Witovvski.

IDem Mihi *Leopoli* factum; injunctum enim *Colonello Debois* ut me ad Commissionem venientem Civitate arceret, & eum in prætorium tanquam Commissarius descenderem, plures quam centum stiparores, sequi me non permitteret. — In Commissione Civitate arcetur.

Idem *Cracoviæ D. Celario* speciali ordinatione & recepto prius ab eodem privato Juramento nunquàm antea in *Polonia* sveto, commissum, ut Me *Capitaneum & Generalem* illius *Palatinatûs*, *Exercituum insuper Ducem*, accessu urbis submoveret; quod si pertinacius ingressum Arcis urgerem, tanquam contra hostem arma expediret. — Similiter Cracov.

Jam verò *Famosos libellos, scripta sub Anonymo* vulgata Honoremque Meum perimentia, apertas in Senatu Vilipensiones, in Consilio publico Disgustus quis percenseat & computum horum ineat?

CAPUT VIII.

Novissimum fulmen Mandatum Regium ad Comitia Regni Generalia, sub obtentu Justitiæ Majestatis reus arcessitur. Huic Mandato per singula ejus puncta respondetur, & objecta authenticis documentis diluuntur, immò in Adversarios evidenter retorquentur.

PER triennium fermè, ex quo illa malis avibus cæpta Electio Decreto Generalium Comitiorum expuncta est, continuo harum adversitatum pressus sum torcularis, quarum hîc ne centesimam partem attigi, sem-

per fæcundâ in novos diſcriminum partus Malitiâ. Quia verò omnes illæ exortæ contra Me, & tanto temporis tractu perpetuatæ furiæ, Innoxio non prævaluêre, & Deus Innocentiæ Vindex infatuabat ſemper Conſilia eorum, ne effectu complerent, quod tanto cogitationum æſtu coquebant, quodque omni conatu enitebantur, ut Me ſcilicet fatali ruinâ attererent, fecerunt conſilium ut ſub obtentu Juſtitiæ laqueos in ruinam meam tenderent. Hoc ergò palliati prætextu Juſtitiæ fuco confingunt Crimina, cum Natalium meorū gloriâ, vitæ tenore, Morumque ac Virtutis integritate, minimè cohærentia, ac penitus talia, quæ Respub. in illis ipſis deprehenderet, & quilibet primo intuitu Reos eorundem decerneret.

Confingunt Crimina.

Immiſcuêre huic invento S. R. Majeſtatem, quod ego graviori memoro cum gemitu, quia *thronum Juſtitiæ & Judicii Divini*, quem Regnantes implent, *paſſus eſt Rex Sereniſſimus converti in thronum Injuſtitiæ*; *Solium illud Protectionis*, quod ante Devotos ſubditos Majeſtatiſq; ſuæ ac Patriæ fideliter, & integrè famulantes inumbrabat, *transformari ſivit in ſolium Oppreſſionis*. Majeſtatem illam lenitate ſemper ac Clementiâ inceinctam, paſſus eſt Sereniſſimus contrariis ſtipari Comitibus, Rigore nempe & implacabilitate; *Rex apum aculeo caret*. Laxavit nimirùm Sereniſſimus ad audenda quæque habenas Malignitati; & antiquam illam Regum Polonorum Gloriam benignatæ in ſubditos partam evacuavit. *Principes olim Sarmatici* verſabantur cum ſubditis tanquam Patres cum Liberis, eoſque Regali fovebant in gremio; Subditi reciprocè eo magis obſequiis Dominantium intendebant, quò certiora Meritorum Virtutumque præmia diſpenſante Majeſtate expectabant, ac ſolo Regalis intuitus ſtimulo ad maxima quæque impellebantur. Nunc è contra à Throno procedunt fulmina, nec licet illuc oculos attollere niſi Mandatorum terroribus, Exiliorum minis perſtrictos. Hæccine eſt felicitas ſubditorum, liberè ſuffragiis ſuis Electum Dominum venditantium? Hæc Dominántis fortuna? tanquam Tonitru fulgurantem Principis perhorreſcere Inclementiam. Vellem altiùs id tales *Pſeudoſtatiſtæ* penſarent. Ergo pertractus in partes Rex Sereniſſimus, conſentit ut *Mandato* ad Generalia Comitia citaretur. Formatum eſt ſuper hoc negotio Conſilium Senatûs, illorum nempe qui cum aliter obeſſe Mihi nequirent, & Me obſtante, Molimina ſua per quæ Patriam Exteris præſtituerunt, ſeu veriùs licitati ſunt, ad eum effectum deducere non poſſent, hanc adulteratæ Juſtitiæ viam facillimam deſtinatis ſuis repererunt. Poſſem equidem teſtimonio totius Patriæ & bonorum Civium ſuffultus, ſimplici objecta omnia diluere negatione; ea enim quibus ipſimet obnoxii ſunt, & plecti digni, mihi allinere contendunt: Namque in Honeſtatem Actionum mearum, & omnis puram labis virtutem, cadere hæc non poſſunt; quæ Impii capitis parturiit conceptus, dum Mandatum hoc moliretur. Verùm ut præſenti ac ſequturo conſtet ævo, tàm Innocentia Mea quàm effrenis Malignitas & ſumma Injuſtitia, paucis ad Mandatum iſtud replico. Inprimis objicit mihi Impudens Malitia & dextra:

ContraRegiam dignitatem.

Conſenſus Regius in Mandatum

Quia tu magnis in Repub. Muneribus & Officiis auctus omnem eam operam auctoritatemque in id convertiſti ut thronum Noſtrum Regium ſubrueres &c.

Objecta refutantur à contrario.

GRatias ago Sacræ Regiæ Majeſtati, quod ſic Mea qualiacunque coronet Merita: Qui enim Divæ Memoriæ, Fratri moderni Sereniſſimi Regis ULATISLAO IV. & ipſimet Sereniſſimo dignus viſus ſum tot officiorum ac munerum, quique ad obſequia Patriæ non poſtremâ æſtimabar pollere capacitate, nunc Judicio Regiæ Majeſtatis, indignus omnium horum pronuntior, & quòd malè dalatis uſus ſim muneribus arguor. Poſſete quidem totus

totus Vitæ Meæ contextus, possent prætacta aliquantulum superiùs Mea utcunque vilia in Regiam Majestatem merita satisfacere objectioni. Si enim promptus cuilibet Regiæ Majestatis adfui obsequio, si Fortunas, Salutem, vitam ad nutus Ejusdem impendi, quod omnibus liquet, quomodo *Ruinam throni Regalis* ac suæ Majestatis Exitium moliri vel cogitatione complecti potui? Egone subruere Thronum Serenissimi Regis volui, qui in *Electione* qualicunque calculo meo & suffragio libero, potui inhibere auspicia Dominationis ejusdem, ac ne tam citò Thronum inscenderet moras nectere? *Qui grave dissidium inter Æmulos Fratres Divæ Memoriæ Principem Carolum & modernum Serenissimum Regem*, de Regno concurrentes, suasu solertiâque meâ, sine invidiâ aliorum Procerum *composui*, quo obstante Rex *Serenissimus* liberè eligi, & regali fastigio potiri nequivisset! Egone subruere Thronum Serenissimi volui, *qui sub tempus Incursionis* Sveticæ *quo jam pænè Serenissimus dicto throno exciderat, cum omnes aut saltem major pars Civium recentem Regis Sveciæ sequuti adorarent Fortunam*, licet non postrema ab eodem Rege *Sveco* offerrentur Mihi illicia, sprevi constanter omnia, & S. R. Majest. fideliter adhæsi! Egone postremò abusus officiis meis, laqueos quibus Majestatem irretitem texebam, qui datis in pignus detrectanti Regiam Militiam Exercitui omnibus meis unà cum *Illustr. D. Joanne Zamoyski Palatino Sandom*. Possessionibus ac bonis, eundem Exercitum jam signa Svetica sequutum ad obsequia Regiæ Majestatis reduxi! *Magnum Tartarorum Chamum* ad ferendas suppetias evocavi, & prædictum Regiæ Majestatis thronum jam pænè terræ infossum ac sepultum iterùm *Polono* orbi reinduxi ac restitui, prout id supra palàm inclaruit & authenticis literarũ *Illustrissimi Primatis* ac ipsiusmet *Serenissimi Regis* documentis! Agnovit fidem hanc meam in recenti S. R. M. recognoscitque eandem sub tempus hujus ipsius, cujus Author insimulor *NEXUS*. Habeo enim literas à S. R. M. LEOPOLI de datâ 11. April. Anno 1663. ad me scriptas, in quibus stabilem ac inconcussam semper laudat fidem addictionemque meam. Agnovit præterea Magnus ille, & utinam non ante fatalem hunc Reipub. casum præmortuus, Piæ Memoriæ, *Primas Illustrissimus Andreas Leszczynski*; Verùm & *Modernus Illustr. Archiepiscopus Gnesnen*. idem fatetur in literis ad Me directis de data 14. Maji 1663. Lyskoviciis. In quibus hæc sunt formalia:

In electione dexteritas.

Omnibus pænè Svecum secutis constãs affectus.

In revocatione Exercitus à Sveco, vitius Scythæ pro Rege prædicati.

Illustrissime Domine Marischalce Major Regni
Dne & Frater Colendissime.

Illustr. Archiepiscopi Gnesnen literæ.

Succensui statim temeritati ejus (quisquis author fuit) qui non est veritus censuram adhibere voto & suffragio Celsitudinis Vestræ, tanti in Patria Civis, cui soli tempore Incursionis Sveticæ (*fateri id uno consensu cogimur*) *defixis stupore omnibus spes & ratio salvandæ Patriæ, in tam subito casu succurrit*. *Hoc autem intentissima* circà Majestatem Dominantis & salutem Patriæ *Celsitudinis Vestræ operabatur* Resolutio, *quam &* Patruelis meus piæ Memoriæ, in Munere Archiepiscopali Antecessor *debitè prosecutus est Encomio, & ego veneror palamq; recognosco* Quod succedanea per manus sibi invicem tradent sæcula, seraq; stupebit Posteritas, dum audiet, tantum Prudentiæ ac efficacium mediorum suggerente numine superfuisse Celsitudini Vestræ, ut incubantem toti Poloniæ Svecorum Regem, in medio votorum ambitu intervertere potueris, & Serenissimo Regi Dno Nostro Clementissimo de tali prospexeris securitate, quæ in hæc usque tempora ejusdem Ma-

jestatis

jestatis Regium firmat thronum. *Assecuro Celsitudinem Vestram æquè mihi hærere cordi Honorem Celsitudinis Vestræ ac Meum proprium &c. Datum Lyskoviciis 14. Maji 1663.*

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Addictissimus
Frater & Servus

Venceslaus Leszczynski Archiep. Gnesnen.

EVidens igitur in hoc puncto à S.R. Majest. infertur mihi Injuria. Pares artes antea Polonia non vidit; aliundè importatæ nunc triumphant, dum aliquis sincerè Patriæ obsequiis invigilat, dum opibus eminet, dum emerita virtutis suæ præmia refert, ruinam Majestatis moliri fingendus est, ergo tollendus.

Rempublicam tuo Unius arbitrio ut faceres obnoxiam.

Falsa meritorum interpretatio.

COnsideret quæso qui sine affectu judicat, Malignitatis opus odio flagrans, & ideò tam turpiter errans; Fatebitur etiã invitus, quod fideliter semper Reipublicæ inserviverim, & vel inde apud eandem saltem meritorum recognoscentiam & gratitudinem prōmeruerim, solito itaque malignitatis livore interpretatur & intentionem cordis scrutatur, *ut faceres obnoxiam.* Quæso explicet Mihi, quid sit *habere Rempublicam obnoxiam?* si putat Consiliis meis innitentem, & obsequiis meis indigentem? Peccatumne est promptitudinem suam declarare necessitatibus Reipub. adeò ut tàm in toga quàm in sago nulla prætermittatur inserviendi Reipub. occasio. Deinde vide quam sis Malignus; scripsisti: *Rempublicam obnoxiam*, & inferius: *ut thronum subrueres.* Si mihi Respublica ex meritis obnoxia, ergo & Princeps qui in Republica tanquam caput illius continetur? Quare verò scindis corpus Reipublicæ, & caput à corpore avellis? quo in loco constitues Principem, si illum à Republica scindes? Aptiùs profectò tibi ipsi quadrat subversio throni, quandoquidem illum separas à Republica. Arubi erit thronus? in campis fortassis imaginariis. Sed tu sublimiùs scrutaris, addito Tuo UNIUS, ut eo modo Odii publici victimam Me faceres. Hæc verò unde? num apud nos Dictaturæ? num Triumviratus audiuntur? Quod objicis proba, & ostende, ubi unus, usurpare ausus sum arbitrium versandæ pro libitu Reipublicæ; an in Generalibus aut Particularibus Comitiis, an in Tribunali aut quocunque Regni subsellio? Nisi fortè propterea unicus, quia *unam vocem liberam Nuntiorum Terrestrium in Regni Comitiis opprimere non permisi, qui uni voci libera* tantum tribui authoritatis, quantum omnibus, juxta naturam status nostri! Nisi fortè ideò unicus, quia *Electioni*, dum illegitimè serpentem adverterim, *contradixi, & Vestris perversis Intentionibus fortiter obstiti.* Sed & hîc falleris, plures sumus & fuimus ejusdem sensus; Videbis suo tempore multa millia Virorum, qui benè volunt Patriæ, & pro Incolumitate illius moti parati sunt. Progreditur ulterius & ita mihi objicit improba manus:

Quam turpis error.

Fabricatori Mandati conveniens &c.

Fiduciam in Exercitu reponens, nascentem ejus Confæderationem non modò non improbasti, verùm Directionem ipsius Personæ magis idoneæ Tibi visæ detulisti & proposuisti, eandem sub oppido Sczerzec legatione tuâ salutasti, pecuniâ auxisti &c.

Unde

Ortus & Origo Confœderationis.

UNdenam orta sit Confœderatio, aut quo fine cœpta, referat. *Admodum Reverendus D. Lipski Præpositus Jezeviensis* in facie Reipub. id quod mihi *Czestochoviæ*, in præsentiâ *Generosi D. Skaskovvski Vexilliferi Ravensis*, sponte & conscientiâ motus retulit; Ex cujus depositione discernet Respub. num ego in hanc Confœderationem influxerim, vel eandem probaverim. Sed & ille qui ad Horostoszovium consistentibus Castris dispersit per Tentoria schedulas infra positas, recolligat sese, quo Motore vel impulsore id egerit, harum schedularum, nondum conflatâ Confœderatione, trimestri fere antequam coalesceret, una mihi reddita est. Ejus formalia pono:

Modus respiciendi Ortus Confœderationis.

Schedulæ per tentoria dispersæ.

CUR etiam ex flore Nobilitatis coacta Militia siles? Parentes & Fratres Vestri oppressi. Vobis quoq; ipsis multùm detractum de antiquâ Veterum Militum prærogativâ; nunc juvat vos ipsum tempus: nam ad præsens penè jam clamat & auribus vestris insonat illa Sigismundi cautela Petricoviæ 1538. *data, cujus tenor talis:* Nos Sigismundus &c. Fiat Electio Regis libera, ita ut ex omnium regni, Senatorum, Consiliariorum, Baronum, Militum, Nobilium, quicunque Comitia ista obierint, eisque interfuerint, consensu & voluntate Novus Rex eligatur & denuncietur.

Subscriptum deinde:

Opus hic est Commentario, verùm id dexteritati & prudentiæ Tuæ committitur.

Scopus Confœderationis.

NOnne hæc fuêre Fomenta & Principia nascentis Confœderationis? Nonne ad oculum patet, quid per hanc Confœderationem petebatur, & quis illi compingendæ præfixus fuerit scopus? Ego Electioni contradixi, unde & vapulo, *Confœderatio in gratiam Electionis capta*: Quomodo ergo Author illius proclamor? Deinde quomodo ego laudibus efferre ad sidera Confœderationem potui, qui prima illis destinatus victima, exertas in Me Bonaque ac Ditiones Meas illius furias, ante alios excepi? Favitne mihi Confœderatio, quando totis castris, & quidem instigante Aula, per villas & Possessiones meas diffundi voluit? Et præterea biennio fermè integro nullum Militare Concilium celebravit, nullas legationes instituit, literas scripsit, quibus Nomen Meum non proscinderet, in derogationem Munerum ac Jurisdictionis meæ aperto odio non grassaretur, diversis denique & confictis me non oneraret calumniis? Ad manum sunt Mihi omnia documenta, ad manum conclusa & Articuli Circulorum, Conferentiæ adhæc cum Exercitu Magni Ducatus Lithnaniæ institutæ, in præjudicium Mei Munerumque Meorum. Quæ omnia loco & tempore debitis Reipublicæ exhibebo. Verùm supersunt præterea & illi Proceres qui ad Conventus illorum Militares commeabant, præcipuè *Illustrissimus Dnus VVitovvski Castellanus Sandomiriensis*, qui Mihi specialibus literis innotescit, quàm pertinax adversus Me illorum ira bulliat. Idem plures alii testantur, præsertim ad Generalem illorum conventum *Andreioviæ* celebratum ablegati.

Quem petit.

Aperte patet.

Hæccine sunt favorum & complacentiarum Pignora, tot & tantis odiis impeti! Quid cætera memorem? Quemadmodum ad prædictum Conventum

E

ventum *Andrelovienſem* & deinde *Olborienſem* admiſſus non ſum. *Dominus Hyneck Venator Podlachiæ* ante Me præmiſſus Civitatis acceſſu prohibitus; Famulis meis ad ordinanda hoſpitia deſtinatis cuſtodia circumducta & adventu in oppidum ac locum celebrati Circuli interdictum! Et quidem cuncta hæc inſtinctu Aulæ patrata: habeo namque adhuc aliquot ab ipſomet Exercitu literas concepta adverſum Me Aulæ odia denuntiantes, tametſi idem tunc Exercitus mihi adverſaretur.

Svviderski ſuffragiis Militum in Directorē eligitur.

Quod verò *D. Svviderski* communibus ſtudiis Exercitus delegerit, capacemque Directionis agnoverit, quæ Mea hîc culpa! Fateatur ipſe & totus Exercitus, num de illo præficiendo quidquam inſinuaverim, vel ad ſubeundum Munus hoc cunctantem animârim? Supereſt præterea *Magnificus D. Uladislaus VVilčkovvski Capitaneus VViſnenſis*, qui commendatum ſibi à Ducibus Exercitûs Regimen ad uſque compilati Nexus tempora tenuit; is recognoſcat, utrum *Svviderski* accedente Mea informatione *Colligati Exercitus Mariſchalcus* ſit denunciatus. Utique ego diu titulum *Mariſchalci* eidem denegavi, dum eum literis compellarem, quo nomine ſpecialiter mecum Exercit⁹ per *D. Krynski* & *D. Bebnovvski* expoſtulavit. Verùm & in reſponſo ad meam Inſtructionem Generoſis *DD. Uladislao Lubovviecki Judici Terræ Crac. & Joanni VVoiakovvski Vexillifero Pramulienſi* dato queſtus eſt contra me ſuper eodem Exercitus, cujus reſcripti in Caſtris ad *Zavichoſtam* die 26. Septembris Anno 1661. punctum de verbo ad verbum eſt tale:

Cui titulus Ma iſth. leci ſubtrahiti ur.

Ratione cujus Exercitus conqueritur.

Octavo. Receptis jam aliquot literis ab Illuſtr. Dno Dno & Patrono Noſtro non viſum eſt ut argueretur ſcriptor qui eaſdem expediebat; Nunc, cum in eo nullam videamus correctionem, petimus ut eundem Illuſtriſſimus commonefaciat; diverſimodè namque intitulat Mariſchalcum Exercituum Sacræ Regiæ Majeſtatis, nunc Tribunum Militum, nunc Centurionem appellando.

Joannes Samuel Suiderski Mariſchalcus
Exercituum S.R.Majeſt.

Legio Cancellarii Regni occaſionem dedit Confœderationis.

HAbent denique tam multos peregrinæ Militiæ Officiales: ab his exquirant, quo Motore tumultus inter Externum primum militem ſeſe cæperit, (ſunt confeſſata illorum penes Me) & quidem præeunte ad turbulenta Conventicula legione German. *Cancellarii Regni Nicolai Prazmovvski.*

Ad Colligatos, dum ſub *Szczerzicio* conſiſterent, miſi & ſcripſi; verùm cum jam flamma tantorum adverſum me militarium odiorum erumpere cæpiſſet, cum undique ab amicis pariter ac exteris commonerer, illo turbine me fortunaſque meas peti, & Ditiones grandi periculo ſubjacere; Per Deum enim obſecro num tanto incumbente æſtu remiſſis manibus feriari mihi licebat, & non potiùs aperta ſubmovere diſcrimina?

Juxta Jus naturale.

Quod autem objicitur, avetum pecuniâ meâ firmatumque militem, purum eſt Mendacium. Producat, ſi poteſt, meas literas Svviderski, aut nominet quem cum muneribus ad eum miſerim, & quid cuiquam obtulerim; ſed enim per Deum vivum? ſit ita, (quod tamen falsò mihi & merè mentaliter imponitur) leniendo vinciendoque Svviderski aliquid à Me oblatum. Mihine ſoli non licuit donis pericula divertere? cum alios non puduerit; nec id vertebatur pro crimine, *Illuſtriſſimi titulum* eidem tribuiſſe, notabiles Aureorum ſummas, *Horologia* affabrè facta, *Vina, Retia, Abacum*, & pretioſas ciſtas toties ingeſſiſſe. Vellem iniret ipſa AULA rationes, & computaret, quid & quantùm pluribus ex eadem Confœderatione diſtribuit ſubjectis, eo nomine ne contrairent; immò desertâ Repub. Aulica molimina promoverent.

apertum mendacium.

Peccatum ipſius Aulæ

De

De novo Exercitu conſcripto quaſi in perniciem Confæderationis præmonuiſti, arcanumque divulgaſti.

Objicis quod non probes.

GRande Mendacium,& verba rerum caſſa, Exhibe documenta & Inſtructionem,proba quod aſſeris. Et quid opus erat præmonere,de novo Militum delectu, quem tot Deputati à ſingulis colligati Exercitûs Cohortibus palam Leopoli ſpectabant, luſtra, ſigna, Juramenta præſentes audire contuerique poterant,& fulminantes continuò minas excipere! Non me hujus pudet aut pænitet, quòd ſemper Regiam Majeſtatem à violentis conſiliis abduxerim,quòdq; nunquam in eos impelli potuerim ſenſus, ut probarem Regiæ Majeſtatis Conſilia novos delectus adhibentis, multò magis Tartaricas legiones in viſcera Regni evocantis. Præſtabat enim hanc pecuniam numerari Exercitui, & totum id quidquid contribuit Reſpublica ac Leopolim convexit,in ſtipendia vetenta candidè appendi,eoque pacto Militem bellis aptari.

Violenta media non probantur.

Conſilium optimum.

Quo facto Exercitum eundem ab inde Nobis infenſum & intractabilem reddidiſti.

Cur Exercitus Aulæ contrariabatur.

CUlpam propriam in me devolvunt. Quæro enim, quare infenſum & intractabilem Exercitum ſenſit Aula? niſi quia advertit Miles noxias Aulæ artes, in perniciem Patriæ ac exercitus intentas. Aſſiduis enim ſuſurris & inſtantiis fatigabatur,ut deſertis Reipub. Partibus Aulæ adhæreret; & utique eo fine Emiſſarii Aulæ ſuggerebant Exercitui, quatenus Sacram Regiam Majeſtatem *vindicem fraudatorum ſtipendiorum* (cum tamen abſque hoc fuerit & ſit) aſſumeret & amplecteretur. Jam exercitui nonne evidens periculum ac interitus imminebat,quando Famuli illorum proprii ad tumultuandum *literis univerſalibus* concitati, mercedeque & præmiis ad tollendos Dominos ſuos illecti,quod ſine horrore vix meminiſſe juvat; Collige ergo, num exigua odii cauſa Exercitui, immò toti Reipub. præbita ſit, quiſquis conſequentias tam crudelis edicti & facti trutinaveris; dabunt rationem Deo Motores horum,& requiretur è manibus eorum ſangvis innoxius, qui tunc,occiſis è mandato Exercitus pluribus famulis effuſus eſt.

Famuli contra Dominos concitantur.

Jam verò *Diviſionem D. Czarnecki Palatini Kiovien.* quæ ſeſe Nexui aggregavit,quod in Mandato objicis,me iniquiſſimè culpas. Ipſemet enim Miles faſtum & avaritiam illius peroſus,receſſit & in Nexum tranſiit; fatebuntur id illi ipſi qui in hac Diviofione ſtipendia meruerant.

Diviſio D. Czarnecki ad nexum quare tranſiit.

Hic incidenter peto, num debeat *Rex Sereniſſimus* ad conſervanda Jura ac Conſvetudines juramento adſtrictus talibus Exercitum miſcere confuſionibus,& per inſvetas hactenus diſtrahere ad placitum Aulæ Diviſiones. *Ducum ad poteſtati* totaliter Reſpub. reliquit, quorum etiam munera & obligationes, ita circumſcripſit, ut omnia eorum Acta in Nomen Regiæ Majeſtatis redundent,& è re gloriâque illius geſta præſumuntur. Quorſum ergò tales inſtituuntur Diviſiones? quorſum cantelæ de Juriſdictione Regiæ Majeſtatis, qui in *Sarmatia* Dominus eſt omnium & *Dux Ducum?* quorſum conceptæ & excogitatæ novæ ſuper ordinatione Exercitus ſub nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis Conſtitutiones? Dixi,quòd id Reſpublica Ducum poteſtati permiſerit; hi enim pro exigentiâ deſtinare legiones tenentur hoſti recurſuras, non tamen ita ut ipſi Cyphræ inſtar nihil valeant, & tertius interveniens legitimam Ducum audeat intercipere & uſurpare poteſtatem. Namque hoc expreſsè Lex de Augmento vel imminutione Officialium ſancita vetat; quod totum ut ex naturâ Reipub. Noſtræ cuivis pateat, brevi ſed fundamentali ac de Jure ſumpto documento.

Quod eſt contra Jura

& ducibus tantummodo debetur

 Ea

Quod toti discursu probatur.

Ea fuit circumſpectio Majorum Noſtrorum in formanda Repub. ut, cum eam in ſtatu ſuo, Juribus nimirùm ac Libertatibus æternam vellent, in triplici ordine formam illius collocariut, tantâ partium ſymmetriâ unum ex illis coagmentando corpus, ut ſi quis unum ab altero ſejungat ac dividat, ille neceſſariò deteſtandi Politicæ Idololatriæ ſeu Atheiſmi crimen incurrat, & propriæ Matris Patriæ turpis fiat Parricida. Quemadmodum enim tota Reſpublica eſt *Rex, Senatus, & EqueſtrisOrdo*, ita quiſquis Patriam diligit, omnes & ſingulas has partes charitate complecti tenetur, quæ conjunctim non diviſim ſumptæ, unum Reipub. corpus conſtituunt; & quiſquis Rempublicam nominat, in eo nomine *Regem, Senatum, Nobilitatem* ex æquo intelligit ac complectitur. Et idcircò omnia Jura Regnorum publica, quæ ſub majeſtatis Juribus continentur, ſunt omnibus ſtatibus Reipub. noſtræ communia, adeò ut nec leges ſancire vel abrogare, nec bella ſuſcipere, nec fœdera inire, nec tributa indicere, nec monetam cudere, nec vitæ necisque poteſtatem in Cives uſurpare, niſi conjunctim toti Reipub. ſeu Magiſtratibus ad id à Jure conſtitutis, liceat. Hinc Respub. ad latus Regis Senatores pro tempore reſidentes, & Officiales continuò lateri ejus addictos ad Cuſtodiam Legum & Libertatum adeſſe voluit, ne id, quod totam concernit Rempub. Reges privatim trahere (illis obſiſtentibus) valeant, & privatâ Jurium uſurpatione naturam Reipub. ſtatumq; illius enervent; hoc nimirùm eſt, quod ſub exorbitantiarum nomine implicare Comitia ſvevit; eapropter ratio Senatusconſultorum tot legibus vallata, eapropter Magiſtratus jurati Reipub. in ſago & toga conſtituti, hinc namq; pendet Integritas. Et hoc eſt unicum conſervationis ſtatus noſtri arcanum.

Quid ſit Rex. Quid Respublica. Qualiter Jura communia ſunt & quomodo extendantur.

Officium Cancellarii.

Attendere *Cancellarius* tenetur, ne quid Legibus adverſum, Libertati injurium, Civibus grave & præjudicioſum emanet, ne correſpondentiæ cum Exteris & practicæ officiant Integritati Reipub. Idcircò enim annularia quoq; ſigilla privata lege ſunt interdicta.

Ducis.

Dux Exercitus invigilare debet, ne arma pro Repub. lecta cuiquam Civium, multò magis ipſi Reipub. formidinem inteutet, ac periculum creent, ne vocem Liberam Potentia armorum extingvat, ne in Electione tubarum clangor, & ſtrepitus armorum, intercludant togatorum Civium libertatem, & Juris vetandi privilegium, & idcircò duos duntaxat Exercitus Duces, non pluralitatem Generalium, externo more, inſtituit, ne ad plures diſtracta hæc poteſtas, & cuſtodia adeo proficua enervetur. *Theſaurario* incumbit providere, ne Oeconomia Reipub. atque etiam illa quæ menſam Dominantis concernit, dilapidetur, (idcircò enim omnes contractus etiam privati S.R.Majeſt. abſque ſubſcriptione Theſaurarii nullitatis vitio ſubjacent) neve Respub. in Contractibus, in cudenda Moneta fraudetur & detrimentum patiatur.

Theſaurarii.

Et ad hæc omnia exequenda tanta ac tam ampla unicuique Officiali in ſuo munere indulta eſt vis & poteſtas, ut non modo Regi obſequi, ſi forte quidpiam legibus adverſum imperet, non teneatur; verùm ex adverſo conanti, ſeſe opponere, & denuntiare Reipublicæ Juramento ſit obſtrictus.

Abſcedat jam hinc fœda illa & noxia Reipub. modernorum Pſeudopoliticorum Polonorum aſſentatio, quæ circumſcribere in Magiſtratibus jura velut, ſupra Majeſtatem ſeſe attollentia ſatagit; hoc nempè eſt *Cuſtodibus ſuis privare Rempub.* Hoc eſt ſuffurari Reipub. introſpiciendi in acta Principum privilegium; Hoc eſt libertatem (theſaurum illum pretioſiſſimum tantâ curâ zeloque Reipub. partum & conſervatum) regnantium libidini nudam, ſine Cuſtode, ſine Tutore, ſine tegmine veluti proſtituere. Hoc eſt abſolutum Jus Dominationis in manus Regum ingerere, & cuſtodibus amotis in vacuam Rempub. involandi jus concedere. Nunquid hoc cenſeri poteſt ſupra Majeſtatem, dum quod lex dictat ſervatur, ne in hac luctâ naturali Majeſtatis & libertatis ulla pars prævaleat. Dum attenditur ne vel in togatis conſiliis quidquam extra orbitam, vel in armis quidquam, quod Jura Juribus confunderet, admittatur.

Pſeudopoliticorum aſſentatio, ut ſublatis Cuſtodes Reipub. libertatem infringerent. Jus abſolutum induxerunt. Officium Miniſtrorum.

admittatur. Et hinc fortaſſe illa adverſus prædictos Officiales odia (quos etiam ideircò Inſpectores vocant) quia inquirunt & advigilant, quia non conſentiunt & contrariantur, quia in ſpecula publicæ cuſtodiæ excubant, & non dormiunt; Verùm num ideò ſubverſionis throni, tumultuum criminis læſæ Majeſtatis & Perduellionis merentur Pronomina?

Ea tamen eſt *Gentu* noſtræ *Polonæ in Reges veneratio*, quòd totum id quidquid Comitia definiunt, quidquid conſtituunt, Tribunalia decernunt, Magiſtratus & Juriſdictiones omnes agunt, ſub nomine illorum fiat. *Juſtitia præterea Diſtributiva Nobiles Indigenas & benemeritos præmiandi*, totaliter conceſſa eſt Regibus, ut meminerint ſolam benefaciendi Civibus gloriam ad illos ſpectare, translata in Magiſtratus cujusvis ſeveritatis rigorisque invidia, & intelligant ſub Regiæ dignitatis prærogativâ, Paternæ charitatis includi vincula. *Felix enim verò Dominus*, felix Imperium, ubi concatenant ſubditis Dominum hæc ſacra, quæ & Regibus tranquillitatem vitæ, immortalitatem gloriæ, perenne ſubditorum deſiderium conciliant, & Rempub. æternant, vincula! *Infelix è contra, ubi plus valet* terror quàm Amor, ubi Arma tutantur ſolium, non Civium Charitas; Ubi in Corde, Ore, Actibus legere eſt illud: Oderint dum metuant, ubi demùm oſtentandæ per terrores potentiæ dira ſed frequens magni imperii reperitur Gloria. Objicit deinceps: *Amor erga Regem.* *Unde felix &, & è contra*

Expeditionem Noſtram in Lithuaniam contra Moſchum enervaſti, quin immò ne Exercitus auxiliaretur obfuiſti.

EVidens calumnia. Adjuro conſcientiam S.R.Majeſt. quomodo valedicendo Sereniſſimo ſupplicavi, ne me hoc afficeret dedecore, & ad latus Majeſtatis ſuæ alteri quàm Mihi *Mariſchalco ſimul & Exercituum Duci Commendam* concederet; Queſtusque eo nomine ſum, quòd hoc facto privatim Juribus & conſuetudini Noſtræ injuria infligitur; allegavi inſuper, juſtius & convenientius eſſe, ut *D. Czarnecki ad magnum Ducem* Exercitus cum ſuis copiis tranſiret, Alteri Duci alterius Exercitûs competere regimen. Quâ igitur ratione volui enervare expeditionem, cujus comes eſſe deſideravi, & vitam ſalutemque Meam obſequiis Regiæ Majeſtatis impendere? *Evidens calumnia.*

Accepi, fateor, poſtmodum literas à Sacra Regia Majeſtate, ut *in Lithuaniam* venirem, verùm tunc unâ comitante cohorte incurrere ultrò in opprobria & disguſtus non mihi expediens viſum. *Vocatur in ſandem.*

Jam verò quod objicitur, quaſi impedierim ne exercitus ſuppetias ferret Regiæ Majeſtati; quin immò ſuperſtites adhuc ſunt *D. Judex Cracov. & D. Vexillifer Premiſlien.* quos tunc ablegaveram ad Exercitum Iſtulam trajicientem. Hi fateantur, ſi in Legationis inſtructione illud non attexui, ut ſolicitarent Exercitum, quatenus etiam ſub directione & regimine Svviderski ad obſequia Regiæ Majeſtatis tenderent. producat eandem Inſtructionem Svviderski, ad quam reſponſum habeo, ex quo punctum ſecundum declarationis per eundem datæ ſub Zaviehoſtia 27. Septembr. Anno 1661 excerpo. *Contrariâ documentis oſtenditur.*

Secundo. Patet unieni ad oculum quo in ſtatu nunc verſetur Respub & Magnus Ducatus Lithuania, verùm Exercitus mederi huic malo non poteſt quamdiu ſtipendia non recipiet; quandoquidem illum bellici ſumptus deficiunt. *Punctum ex Inſtructione ad Confœderatos data.*

Verùm & *D. Prenigzek* nec non *D. Golinski*, quorum utrumque ego & Illuſtr. D. Palatinus Cracov. immediatè poſt legationem D. Judicis ac Vexilliferi Lanceutho expedieramus, recognoſcant ſi à nobis ambobus requirendarum ſuppetiarum commiſſa non habuerint.

Videat ergo Impudens, quàm iniquè hoc mihi objicit, apparet quòd tantum illi veritas ac virtus cordi ſit, quantum mihi cordi fuit, ut Exercitus per Patriam diſperſus graſſaretur, & viſcera Regni corroderet. Objicit deinde:

Comitia post reditum Nostrum pro satisfactione Exercitui conditionibus Statum Reipub. cõfundentibus scitu & arbitrio tuo confectis difficultasti & protraxisti, denique ipsa Comitia hostili aggressione adstringi, Senatores Nuntiosque Terrestres in itineribus arceri & detineri dissimulasti.

Modus reficiendi Anthores Malorum.

QUis Instructionem Exercitui, in futuris Comitiis proponendam scripsit, res scitu facilis, quoniam superest Svviderski Marschalcus, supersunt Consiliarii, Primipilæ, Nuntii denique Militum ad futura Comitia lecti & designati. Inquirat itaq; Respub. ab illis, & obliget tanquam proprios Filios, Fide, Honore, & Conscientiâ, resciet sine dubio, & rescivisset etiam tunc ex Iniquissimi Judicii Processu, si Inquisitionem in tot tantarum Importantiarum Articulis, (ut Leges obloqvuntur, & Justitia requirit) debitam concessissent. Verùm quia expediebat Me opprimi sine morâ, ne Respub. sciret Originem malorum, & inquireret Authorem: Nunc quamvis nolui in hoc descendere certamen, unde etiam in Judicio producere documenta infra danda vetui, quandoquidem Implacabilis Malitia tantâ rabie contra Me insurgit, cogor pandere veritatem, & denuntiare Reipub. id, quod mihi falso objicitur.

Quare tam præcipitanter Judiciũ factum.

Non ego Conditiones scripsi Exercitui, sed quis illas scripsit & transmisit Exercitui sciet Respub. inquirat tantummodo quis ablegaverat *Religiosum Ludovicum Przyvvicki Ordinis Bernardinorum Conventûs Pragensis è Regione Varsaviæ siti, Capellanum, D. Borescki tunc in Nexu substituti seu Vice Marschalci præsidentis Kelciam?* Quis ad effigiem *Crucis* è globulis precarii dependentis eidem *D. Substituto*, demortuo Juramento sese obstrinxit? Quis eidem Substituto aliquot centena Aureorum, quæ ille in publico militari consensu seu circulo exhibuit, transmisit? Hæc autem ita gesta esse literis Credentialibus ac præterea Instructione prædicto Religioso data, confirmo, quæ utraq; hîc infero, Originalia verò præsentare Reipublicæ paratus sum. Denique Puncta à Pre *Szczuka* eidem Religioso porrecta aperte docebunt, quis informabat Exercitum, arcana divulgabat, ad illicita stimulabat, pecunia augebat.

Rem prout gesta est Literis Religiosi prædicti positis, enucleare ordior.

Literæ Religiosi ad D. Substitutum.

Illustris & Magnifice Domine Benefactor.

Insignis Personæ Serenissimæ Reginæ.

QVod importunis tam frequenter literis Dominationem Vestram sollicitem, non id, spero, afficiet Dnem Vestram, magno Judicio pollentem: id enim facio, tum ut illam Insignem Personam *sollicitudine exolvam, tum ut Dnem Vestram intimiùs Gratiæ illius illigem; expediebat ut Dnao Vestra undiquaque* tertius

tertius aut saltem heri certiorem illam fecisset, de his quæ illa exoptat; nimirùm cupit scire, quæ & qualia puncta in futuris Comitiis proponenda Dnes Vestræ concluderis, non quod ea intendat irrita facere, sed addere insuper, & appositis clausulis vallare. suggerereque modos qnibus Dnes Vestræ felicem evenrum sortiri possint, & vellet sacrosancti NEXUS hujus fieri Protectrix, si Dominationes Vestræ missis Nuntiis eo nomine supplicarent. Nec sanè spes Vestras eluderet Persona hæc: nam idem planè sentit, quod Dominationes Vestræ. Si igitur illi Dnao Vestra significaret, illa reciprocè jusso, die noctéq; currere tabellario, certiorē redderet Dnem Vestram, Quæ illic consilia Ducum Exercitus eventura sint; Opinor autem multùm ad Informationem Dominationum Vestrarum profecturam Dictorum, Consiliorum & Querelarum per Dnos Duces proponendarum notitiam, qui jam, credo, supervenère, & res suas agunt. Hæc verò Insignis Persona præstolatur alicubi cum tædio dandam per Me à Dne Vestra notitiam. Potest Dnao Vestra confidere Personæ illi; non tantùm enim Literis suis, quarum Copias Dni Vestræ misi, assecurat Dnem Vestram; sed, quod majus est, exemplis globulis precariis, quibus crux appensa erat, compositis in modum Crucis digitis, juramento firmavit ea quæ in assecuratione scripta sunt, omnia impleturam se obligans, & reciprocè petens, ut Dno Vestra Jure jurando interposito spondeat, quod illi favebit, & quemadmodum illa Res omnes, Consilia &c. fideliter D. V. revelabit, ita similiter D.V. fideliter indicatura sit omnia, me Internuntio. Ego verò conquiram & habebo modos ad referendum illi aptos; & quemadmodum illa manu propria subscripsit assecurationem, ita petit ut D. V. manu propriâ literas ad eandem scribat saltem semel, assecurando illam de impendendis ad vota obsequiis, secluso omni fraudis metu, & secura sit quod nulli hac revelabit, speciatim verò D. Palatino, contra cujus iram non modo vult D. V. protegere, tanquam Domina Famulum sed tanquam Mater filium vult D.V. eidem in fortuna adæquare. Proinde, Dne. Benefactor, ne spernas opportunitatem, quando Deus portam pandit ad altiorem fortunam; Nec enim duntaxat verbis promittit, sed realiter jam implere incipit, dum per manus meas mittit ad præsens hos quot pollicita fuerat Aureos, & habeo illos penes me. Quod attinet Bona Regalia per demortuum olim piæ memoriæ Parentem D.V. possessa, ad præsens verò recepta, petit ut D. V. causa hujus processum edisserat, illa verò spondet, accedente suâ intercessione cuncta D. V. restituenda. Assecurat præterea, quòd ultra cæteras altissimas Promotiones, quotannis è thesauro proprio quàm diu vivet, pendi jubebit D.V. mille aureos Hungaricales, super quibus dabit in continenti Singrapham D.V. posteaquam literas manu D.V. scriptas, quibus de promptitudine & obsequiis Dnu Vestra certa fiat, obtinuerit. Quòd tam fideliter scribā, rogo non vertat D.V. vitio: nam anxietate animi premente cogor ad talia, quia D.V. non vult mihi indulgere copiam sui; posset autem id optimè fieri, si tanquam cum suo conveniret Capellano semel atq; iterum & conferret. Habeo enim puncta maximè proficua Sacrosancto Nexui Dominationum Vestrarum. Illi Dne Benefactor, digneris me quàm citissimè certiorem facere, si hac effectum sortientur an non? ne illa insignis Persona expectatione anxietur: nam si D.V. tot & tantis illius precibus, Juramentis, assecurationibus ad facienda quæ optat non movebitur, saltem bilem illi non moveat hac prolongatione, & præsertim si D. V. nihil in gratiam illius vellet facere, noli cuipiam molimina illius propalare; hinc enim maximè affligeretur; Rogo comburat has literas, quas scribo ad D V. ne quo casu depereant. Verùm, opinor, hæc omnia valdè benè cederent, nec cuiquam præter Deum testem innotescerent, si collatis mutuò conciliis prudenter procederemus, firmatis ex condicto consiliis, & prætereasi D V prudentem aliquem ex Dnis Commilitonibus in confidentiam assumeret, qui sapiùs mecum conferre posset, quàm D.V. idq́; si videbitur D.V. In reliquo Majestati Divina Dnem Vestram commendo.

Promittit revelare omnia arcana.

Cupit esse Protectrix.

De credentialibus mancionem facit.

Juramentū ad imaginē crucifixi &.

De Aureis significat.

Pensio annua statim promittitur.

Magnificæ Dnis Vestræ Exorator & Servus

Capellanus Ludovicus Przyvvicki.

Ad eundem Dnum Borzecki substitutum Colligati Exercitus literæ credentiales Serenissimæ Reginæ adnectuntur.

Ludovica

Ludovica Maria Dei Gratia Regina Poloniæ &c.

Literæ Sereniſſimæ Reginæ Credentiales.

GEneroſe Nobis ſincerè dilecte. Portitor harum literarum aperiet S. V. Voluntatem & Intentiones Noſtras, quæ cum totaliter conveniant cum bono Patriæ & Nexus præſentis, Sinceritatem Veſtram ſedulò requirimus, plenâ eidem fide datâ, operam ſuam in id dirigat, quod ad integritatem utriusq; horum proficiet. Valetudinem interim proſperam S.V. à Dno Deo precamur. Varſaviæ 29. Octobr. Anno 1661.

Ludovica Maria Manpr.

Aliæ literæ ejusdem Reginalis Majeſtatis ad prædictum D. Subſtitutum ſunt tales.

Ludovica Maria Dei Gratia Regina Poloniæ &c.

GEneroſe Nobis ſincerè dilecte. Quemadmodum omnes illos qui ad Noſtram confluunt protectionem, obvio conſvevimus ſuſcipere affectu, & Noſtram in omnibus occaſionibus teſtamur illius invariabilem propenſionem; ita quandoquidem S. V. eo nomine convenire Nos deſtinavit, certificamus inprimis & aſſecuramus de Sacra Regia Majeſtatis, & Noſtro inviolato erga ſe affectu ac propenſione. Quod attinet illam Perſonam, totaliter onus iſtud in Nos aſſumimus, quòd abolitis præteritis illum D. V. coæquabimus, aut ſi (quod non opinamur) dimoveri nollet de ſuâ pertinaciâ, ita collocabimus fortunam S. V. ut extra ictum Invidiæ poſita, absq; illius poſſit ſubſiſtere dependentiâ. Compendio dicimus, non modo ad Protectionem contra malevolos, verùm ad Incrementa fortunarum ſuarum, promptam & munificam Sincer. Veſtra experietur Dexteram Noſtram, quod verbo Regali impleturos Nos obligamus. Valetudinem interim proſperam à Dno Deo Veſtræ Dominationi precamur. Varſaviæ die Menſe Anno 1661.

Ludovica Maria Regina Mpr.

Seqvuntur Puncta per præfatum Religioſum Dno Subſtituto reddita.

Puncta D. Subſtituto miſſa.

CIchanski *in partes alliciatur, nec non alii, hi qui noſtri fuerint, ſcribant ad Dominam & ſignificent. Exercitus Svetici jam advenere imaginatur ſtultitia.*

Si Epiſcopus Crac. *pro parte Domûs Auſtriacæ res non trahit.* Nyſſam *ſæpiùs ruſtici commeant, ab* Epiſcopo Craco. *intercipiendi eſſent.*

Ut

Vt ad Sereniſſimum Regem & Regiuam mittantur Legati.

Vt Legatos exterorum Principum ad Comitia non admittant, qui poſſent turbare negotia.

Illuſtriſſimus Archiepiſcopus *dicere ſolitus, & moriens idem confirmavit deſiderium, dicens, non videri digniorem regno & pro Electione aptiorem quam* Condæi *filium.*

Frequens notitia detur.

Mandatum à Sacra Regia Majeſtate ut Exactores Contributionum cum pecuniis ad Comitia veniant, ex tribus ratis ut in unū conflent; hi verò qui habent in retentis ut judicentur.

Si literæ Regiæ Majeſtatis videantur aſperiores, ſciant ante notitiam ſcriptas. Verùm poſteaquam R. P. Szczuka *Sacram Regiam Majeſtatem informavit, quòd nihil violenti faciant, S. R. M. jam aliter ſentit de illis deliberativè.*

Petant à S. R. M. ut pro Comitiis Palatinatuum *det ante Comitialem Inſtructionem, quatenus Exactores contributionum cum parata pecunia ſiſtant ſeſe in Comitiis, antiquiores verò Exactores qui habent retenta reddant rationem S. R. M. petitur ut promoveant.*

D. Vellixifer *Sandomirienſis cujus partes tuetur.*

Salisfodinæ D. Mariſchalco *adimantur & Clinodia.*

Epiſcopus Cracovienſis *maximas partes gerit* Domus Auſtriacæ, *miſſis literis* Nyſſam *per Sileſiam ſi quis pedeſter poſſet intercipi.*

Ne circum Varſaviam *prope habeant conſiſtentiam* Tarczyn R. P. Szczuka. *Præterita Comitia protraxit* Marſchalcus Regni *ad Majum, quæ celebrari debuerant in Januario; ſunt hoc in paſſu literæ ipſius.* Sereniſſimus Rex *indicere citiùs voluit; ille obſtitit.*

Regiæ Majeſtates cupiunt celebrari Comitia; Marſchalcus *reclamat, dicens poſſe per particulares* Palatinatuū *Congreſſus huic ſatisfieri.*

Mariſchalcus Regias Majeſtates *territat Exercitu, & ex adverſo Exercitum Regiis Majeſtatibus, & ſic turbat.*

Mariſchalcus *vellet aulam deprecari, verùm* Rex Sereniſſimus *recuſat, & mavult cum Exercitu eſſe.*

Theſaurum Regni non vult reddere Theſaurario, dicens quod id nequeat efficere obſtantibus Confœderatis.

Ambo Duces erunt pro feſto Mar. non timeant ut ipſorum dicta acceptentur; immò omnia, quæcunq; dicent, dabit notitiam Sereniſſima.

Vt vota veſtræ magis ſuccedant Ligæ, accipe Magnatem aliquem, præcipuè Vexilliferum non poſſetis magis ſupprimere Mariſchalcum, quā iſto, qui eſt inimiciſſimus.

Si habet Sororem vel Neptim.

Poſſum prodeſſe protectione in noviſſimis ſi quis inſtaret, qui ſunt Occaſio Conſt.

Quatuor proponit Sereniſſima. 1. Petitio ut &c. 2. Promiſſio. 3. Perſvaſio. 4. Comminatio.

Vt Reſidentes ſemper ſint ad Aulam.

Vt Duces Advitales omninò non ſint.

Religiosus iste degit in vivis (ut puto) producatur è latebris quibus tegitur : recognoscat suam Negotiationem, & edisserat sibi Commissa.

Habet erga Respublica patefactum Anthorem, qui has Conditiones Exercitui scripsit; Judicet num justè patior & tantis calumniis involvor! Non modo enim penitus ignotavi quid colligatus Miles proponere debebat, sed egomet ipse in propositis Conditionibus petebar.

Rationes propter quas dissuadebatur Iter Leopoliense.

Iter Leopoliense quod *Serenissimo Regi* dissuaserim, fateor, quod id fecerim metuendo Factiones futuras cum Exercitu, & prævidendo falsificationem Officinæ Monetariæ, ac pecuniarum solutioni Militum destinatarum, aliò erogationem, difficultatemque obviandi, sub Patrocinio Majestatis audentibus; ad extremum movit Me & quædam Majestatis collisio cum armatis, ac divisum, ut ita loquar, LEOPOLI imperium. *Deniq; quod nullibi legerim exemplum in Antecessoribus Sacræ Regiæ Majestatis, quod aliquando interfuerint Commissionibus*, quorum Nomine cum Republica conjunctim Commissarii agunt, & ideò separatum locum à Residentia Regum Respublica Commissioni assignat; ac proinde succedebant svaviter & finem debitum intra præfixum tempus sortiebantur; Hujus verò successum monstravit effectus; quando Monstrum Exorbitantiarum facta; facta & Oppressionum, Bellorum inauditorum fundamentum. quod facilè unicuique constabit, si revocaverit in memoriam, quales Legationes ad Exercitum, & à quo, instituebantur; quales schedulæ inter eosdem disseminabantur, quales practicæ, solicitationes, promissa, largitiones in conclavi Reginalis Majestatis in perniciem mei excitabantur, qualiter denique Amici mei, ut me deserant ac impetant, modumque opprimendi Me porrigant, inescando eosdem promissis seducebantur?

In Commissione injuriæ tanguntur.

Eandem Confœderationem quod consultò ad tempora Interregni extendere studuerim, objicit mihi Mandati Faber, cui infra respondebo ubertim. Nunc quia addit, quod in Commissione frequens non fuerim, quæro quorsum eandem frequentare debui, tam pulchris delinitus præmissis? Veni primâ vice, & ecce Militibus, Amicis, sangvine junctis, occursu meo assistentiâque interdictum, Consilia contra me fabricata, de apponenda in confusionē mei honestâ Custodiâ deliberatum, *Concionatores Soc. Jesu subordinati*, qui nomen vitamque meam, Divinâ aspirante gratiâ, apud omnes bonos intaminatam, arroderent, & *Cathedras veritatis ac verbi Dei, in Cathedras pestilentiæ & pulpita Mendaciorum converterent*. In liberâ profectò natus sum Repub. in quâ nemo invitus facere quidquam cogitur, quando præsertim gratia vel munificentia Principis calcar non admovet. Et quem obsecro non pigeret sumptus prodigere seseque exinanite, tantâ obstante ingratitudine! non ego profectò mutuabam subsidia à Præfectis cudēdæ monetæ, nec mea Leopoli residentia Ærario quidquam debet aut est obstricta.

Prosequitur ulterius Mendax calamus, & ait, quod *D. Vexilliferum Pramisliensem septies misi ad Confœderatos, ut in Protectorem per eos eligerer.*

Evidens mendaciū.

Fuit, non diffiteor, D. Vexillifer apud Exercitum; Verùm non septies; namque illuc à Commissione primâ cum D. Gasiorovvski destinatus fuit. Producat Instructiones, recognoscat verbo nobili, si quando habuit hoc à me in Commissis. Ad Exercitum insuper provoco, dicat & fateatur, cum quo de præmissis contulit aut tractavit. Testetur id vel maximè *Svviderski*, ad quem ille uti familiarius cognitum aliquoties commeabat. Exhibeat præterea idem *Svviderski* Cyphras & arcanos characteres sibi per *D. Vexilliferum* prædictum relictos. Habeo literas à Dnis Commissariis *Olboriam* missis, quòd illic egerint Dnus Vexillifer & Dnus Hynck Venator Podlachiæ à me simul ablegati, denuntiantes, quòd nimirùm seriò cooperati sint ad pacandum Exercitum. Habeo & literas eorundem Dominorum Vexilliferi & Venatoris, illo ipso tempore ad me directas, quas hîc induco.

Nam propter bonū publicum ablegati.

Illustrissime

Illustrisſime Domine Mariſchalce
Domine & Patrone Noſter.

Poſt expeditam legionatim deliberationem heri mane facto conſenſu audita eſt primùm Legatio Illuſtriſſimi D. Primatis, *quâ fungebantur Admodum Rendi Domini* Madalinski & Dunin, *deinde* Illuſtriſſimi Domini Palatini Cracovien. *cujus nomine egit* D. Machovvski, *Noſtra inſuper ab Illuſtrisſima Celſitudine Veſtrâ, quam perquam gratis animis excepêre, & reſpondit Nobis ſermone haud dubiè parato* D. Leszcӡynski Conſiliarius. *Senſus ſermonis illius fuit.* Omnia quæcunque Reſpublica patitur, imputari debere perverſis ingeniis, quorum tota ſcientia in eo vertitur, ut Patriam miſceant Conſiliis & Practicis ſuis, quæ pridem conquieviſſet, niſi ab illis novi æſtus concitarentur fabris; Solum Illuſtriſſimum Dominum Mariſchalcum (addidêre & Benefactorem) vidimus videmusque talem, qui antiquâ illâ Sarmaticâ procedat cum Patriâ Fide, nec malignis factionibus manum applicet, ſemperque Reipub. benè velit, ac Exercitui, cujus affectûs manemus gratiſſimi. *Ita abſolutâ noſtrâ citâ expeditione, miſerunt qui Dominos Commiſſarios & Illuſtrisſimum Ducem* Epiſcopum Wladiſlavienſem *invitaret. Declaravit illis* Illuſtriſſimus Epiſcopus *quod ante, Rempub. nimirùm octo illis milliones offerre &c. Olboriæ 16. Decembr. Anno 1662.*

Quod proj batis literis Ablegatorum.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ Addictiſſimus

Joannes VVoiakovvski Vexillifer Præmiſlien.
Sigiſmundus Topor Hynek Venator Podlachiæ.

Aliæ literæ ab eiſdem, eodem è loco ſcriptæ concluſam cum Exercitu concordiam nunciantes tales ſunt.

Illuſtrisſime Domine Mariſchalce
Domine & Patrone Noſter.

Quod feliciter cedat in Bonum Patriæ, in confuſionem Inimicorum ejus, ac aliorum internæ ejus tranquillitati adverſantium; heri poſt multas difficultates, adjuvante Divinâ gratiâ, accedente Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Uladiſlavien. ac Dominorum Commiſſariorum *operâ & curâ, noſtrâ quoq; ex parte* Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ *interpoſitione, concluſa eſt Concordia cum Exercitu, in eum modum, quod octo millionibus acquieſcit & acquieſcere ſpopondit, verùm ſine extenuatione bonorum omnium, de quibus heri* ad Celſitudinem Veſtram *ſcriptum eſt &c. Olboriæ 17. Decembr. Anno 1662.*

Idem de eadem iterum ſequentibus literis.

Iidem qui ſupra

Judicet ex productis literis quilibet, num quid perniciosum per hos ablegatos meos tentaverim, vel illi motu proprio aliquid noxium tractaverint? Malene conſultum volui Patriæ, quando iisdem meis Internuntiis Dominis Vexillifero & Venatori dedi Plenipotentiam, ut & Hæreditariis meis reditibus, quatuor millia florenorum annuatim cederent illi, qui inito cum Dominis Commiſſariis conſilio opportunior videretur ad flectendum pro bono communi *Nexum*, pariter ut ſummam *viginti millium florenorum*, partirentur in penſiones arbitrio eorundum Dominorum Commiſſariorum dandas. Denique ut *Praefecturâ Perieslavienſi* condeſcenderent in partem Exercitus ſortiendâ, dummodo quantocyus dictus Exercitus accommodari poſſet cum Repub. Indueo hîc ſcriptum reverſale, quod mihi in vim prætactæ Plenipotentiæ Mandatarii ſupra poſiti reliquêre. Originale verò paratum ſum Reipublicæ exhibere.

Quantus Amor Patriæ.

Qui probatur.

NOS infrascripti recognoscimus hoc scripto manuum nostrarum propriarum, quod cum simus destinati ad Exercitum pro die 12. Decembr. in Generali circulo Olboriæ congregatum, accepta concreditâ nobis ab Illustrissimo Dno Marischalco Regni & Exercituum Campi Duce Dno Nostro Colendissimo plenipotentiâ ac plenariâ potestate liberæ dispositionis, quatenus scilicet possimus concedere nomine Illustrissimi Territorium Præfecturæ alicujus vel Possessionem triumseu ad summum quatuor millium florenorum reditus annui pendentem illi cui ex rei exigentiâ vel è commodo Reipub. præstare id concedendum videbimus. Pariter quatenus possimus dispertiri in pensiones paratâ pecuniâ summam quindecim vel ad summum viginti millium, nec non cessionem Capitaneatus Perieslavi. Militibus, quò aliquatenus contentari possint eorundem Merita, distribuendi facere & scriptis nostris particularibus totum id vigore Plenipotentiæ ab Illustrissimo datæ assecurare, adhibito tamen consilio & sensu Illustrissimorum DD. Commissariorum Reipub. idcircò fideliter & considerate, nihil ultra præmissa motu proprio attentantes, voluntatem Illustrissimi Dni exequi spondemus, & Nos submittimus præsenti recognitione nostrâ, obligantes hoc in passu dicto Illustrissimo Fidem, Honorem & Conscientiam Nostram. In quorum majorem fidem & certitudinem manuum nostrarum subscriptiones apposuimus. Datum Lancutbi die 2da Decembr. Anno 1662.

Joannes VVoiakovvski Vexillifer Præmislien.
Sigismundus Topor Hynck Venator Podlachiæ
Manpr.

Magna ingratitudo.

MAlene omnia hæc à me gesta? & pro crimine reputanda, aut æquum est ut eo nomine vitâ, honore, & bonis omnibus spolier, quia Patriæ inservire cupii! Judicet quilibet & discernat æquitatem Judicii illius & Mandari, quando cuncta quæ in meritum meum & gloriam memorandæ erga Patriam Charitatis cadere debebant, detorta sunt in convictionem, & pro demerito reputata.

Verùm & *Piestrzecki* mens innocenter percellitur, quasi proditorum secretorum Reus; Fuitne secretum quod Cosaci & Tartari ad opprimendum Exercitum inducerentur? & quale est secreti genus, dum incessanter Nuntii convolarent tam ad Legiones *Scythicas*, quàm in *Ukrainam*, invitantes ut quantocyùs delendo celerarent Exercitui? Constabat id totum Militi, nec egebat Meis aut *Piestrzecki* monitis & cautelis. Quod cum ego in Patriæ prospicerem vergere detrimentum, extremumque discrimen, si hostes Nostri supervenire deberent, domesticarum differentiarum arbitri ac diremptores, non occului sensum Meum, utque fidem Patriæ exolverem, aperui eundem ac communicavi Amicis, quatuor duntaxat, *Illustrissimis* nempe *Dominis Palatino Sandomir. per D. Capit. Rodomien. ViceCancellario Regni per D. VVoiakovvski Castellano Culmensi, Prtjiemscio & D. Lidychovvski Succamerario Krzemenecensi*, qui consilio huic interfuerunt, & quidem ardentibus instantiis ut mentem meam proferrem evocatus; ab his totum id Respublica perquirat. Læsit fortassis hic sensus meus *Bíviratum*, quòd, exceptis illis, sint Cives benevolentes Patriæ; At satius tunc scrupulisandum esset, dum nil proponitur in senatu, quod non prius approbet *Gallicus Legatus*, & intimius nocturnû (proh dolor!) ex Exteris utriusque sexus, infimæ conditionis Parisiis, conflatum Consilium.

Bonum Cōsilium non est occultandum.

Hic

Hic quoque uniuscujusque Judicium convenio, decernat num peccaverim contra Patriam aut Sacram Regiam Majestatem tali sensu, (qui tamen mihi pro crimine objicitur ac eo nomine convincor.) Nonne præstabat, quemadmodum semper sua sic ac petii, indicere Generalem Nobilitatis expeditionem, & Civibus concredere salutem publicam Majestatemque suam, quàm abominandum in Patriâ relinquere exemplum, attractis contra proprios subditos Gentilibus Barbaris? quo, obsecro, facto adeò demeruerunt, odiumq; Regiæ Majestatis incurrerunt hi fideles Majestatis ejus Subditi? Quo Equestris ordo fidem apud Regiam Majestatem imminuit, diffidentiamque sibi conciliavit, ut tutiora Regiæ Majestati viderentur arma Gentilium, quàm propriorum Civium? Ut plus spei reponeret in Scythis & Cosacis, qui olim eidem diadema conabantur detrahere, quàm his qui viam ad solium eidem Majestati instravêre, & liberis vocibus Dominum proclamavêre. Et quid urgebat, ut tam formidandæ & cum extremis Reipub. periculis connexæ tentarentur resolutiones, non præviis ante licitis tutis & gloriosis sopiendi domestici motus mediis? Non adeò Equestris ordo suis indulget commoditatibus, (quemadmodum sub id tempus quispiam quasi eundem Campi ac Belli incommodis subducendi delicatum & imbellem nominavit scriptoque taxavit) ut recusaret adesse protegereque Regiam Majestatem? Et simul Juniores Fratrum vereretur coercere, ac ne ultra per tumultus serperent, authoritate eosdem Reipub. compescere? Magis tamen placent & placuêre *Scythæ*, & ita ad gustum Aulæ istud accessit Consilium, *ut Dnus Rey Capit. Nescorcinen.* Equiti cuidem sese invisenti jactabundus dixerit: *O quam benè prospexit Majestati suæ Rex Serenissimus, quod Tartaros conduxit! quam feliciter istud successit consilium! expedit hujusmodi reminisci, semper enim usui esse potest.* Malæ Consilia reprehenduntur.

Non ergo rubore suffundor, quoties fateor & itero Consilia Mea, quâ suasi Generalem Nobilitatis Expeditionem; Tartarorum verò Cosacorumq; Auxilia semper duxi pro crudeli Consilio & ultimo, vix in supremâ necessitate adhibendo. Quia tamen hoc consilium repulsam tulit, & mentio Generalis expeditionis averso excepta est animo, suberat ratio non acceptati Consilii, urgente nimirùm conscientiâ & Metu, ne congregata Nobilitas vocaret in disquisitionem Acta in Patriâ; Cur videlicet Exercitui stipendia non persolvantur? Cur in fraudem dicti Exercitus & ruinam, immò in totius simul Reipub. depauperationem, adulterina falsique metalli moneta cudatur & innovetur? Cur denique omnes Reipub. concussi sint Cardines & Leges, ut nihil superfit quod non profanaverit *Fastus & Ambitio Aulæ.* Quare Generalis expeditio deregata.

Mentionem facit idem effrons Mandati Inventor literarum nescio qualium Anonymarum ad manus Regiæ Majestatis redditarum. Sed nunquid non supplicavi per *Illustrissimos Dnos VVitovvski Sandomirien. Ligezam Czechovsen. Castellanos*, quatenus Sacra Regia Majestas detegeret Exhibitorem earundem, ut officiosè deduceret ea quæ mihi objecit calumniosissime? Sollicitabam hac eadem de causa *Illustrissimum Dnum Primatem*; ast nullo eventu. Censerinè id debet *Regis Christiani, Regis Justi*, solis motum calumniis, mendacibus figmentis, Anonymis scriptis, in Judicium cujusquam descendere, ac in periculum honoris & vitæ præcipitari eundem sinere? Utique Sacra Regia Majestas silentio id sepelierat; nunquid igitur licuit inducere labem, & tam enorme delictum mihi impingere, cujus ne umbra unquam in me deprehensa? Apparet in hoc commentum eorum laborasse genium, qui concepto semel adversus Me odio, & nacti flexibilem credulumque Regiæ Majestatis animum, quemadmodum ante variis modis, ita nunc impiis scriptis nisi sunt efficere, ut me gratiâ & favore Regiæ Majestatis expungerent: quod quidem etiam perfecerunt. *Talis praxis viget in Gallia, ubi viri Magni & fortunâ eminentes confictis onerati Criminibus, variisq; suspicionibus in odium tracti insidiosè tolluntur è vitâ.* Ex literis Anonymis sententiare inaudito tum, & Indecorè. Modus hic nocet.

Protectoratus offertur. Quod PROTECTOR Colligati Exercitus debuerim proclamari, bis in hoc mihi objicitur Mandato. Non inficior potuisse id mihi obvenire, si voluissem, si ex innatâ erga Patriam fide, & sincero erga Regiam Majestatem obsequio nonnihil remisissem. Ultrò enim mihi una cum *Illustrissimo Dno Zamojski Palatino Sandomirien.* titulus hic deferebatur. Fuit apud utrumque Nostrum *D. Otho Fridericus Felkersen Jaroslavia* secretò missus; recognoscat verbo Militari, quale responsum tulit, quàm ingrato vultu acceptus & remissus est. Responsi tenorem subjicio.

Rejicitur tali responso. PRotector nomen est Polonis incognitum, & tantummodo duobus conveniens, Regi & Legi. Violare idcircò jura, & hoc exemplo laxare januam in perniciem Reipub. Civibus & filiis ejus non licet: nam hoc successivè magnò aliis constaret. Idem nomen infame redditum impio in Angliâ patrato Regicidio, atque hinc detestandum omnibus esse debet. Non possum igitur votis exercitus annuendo munus hoc subire, satiùs cooperari volo ad ineundam concordiam, ad quam ut Exercitus non gravatè flecti patiatur, oro. Si verò quispiam adversum Reipub. & Juribus illius aliquid moliri tentaret, ac Cosacos cum Tartaris in perniciem Reipub. & Civium inducere, Generosi Dni Milites ex Amore & munere suo providebunt Patriæ & aderunt.

INstituta tamen iteratò fuit ad *Javorovia* appropinquantes eo nomine Legatio, destinatis ad id muneris Primariis Exercitûs, quibus addita in scripto expostulatio. Exhibeant ergo responsum Nostrum, utique debet vel penes *Svviderski* esse, vel penes *Illustrissimum Dominum Primatem*, alterutri illorum ab Exercitu redditum; Fateantur hi ipsi, qui Legatione functi sunt, & præcipuè ille corruptus licet & Falsus testis STANISLAUS JORDAN *recognoscat, si micam adhuc veritatis Avitæ Domus suæ (cui falso testimonio, publicè dato, æternum inflixit vulnus) virtutis ac fidei habet* quo animo id acceperim dum mihi privatim persuaderet, & pericula subsequentia enumeraret, occasionemque post hæc calvam explicaret & utrum minimo saltem nutu placere mihi vel acceptatum iri monstraverim? immò verò quantam abhorrentiam in me ridit & qualiter expeditus, edisserat.

Evidens Injuria. Objicit ulteriùs: *Quòd rotam juramenti ab exercitu mihi uti Protectori præstandi miserim?* Sed enim quis hoc Juramentum tulit? quis vidit vel legit? liceat saltem id scire, vel ab Exercitu referente discere. Ignoscat Deus Sacræ Regiæ Majestati, quæ tam sinistram de mea ac *Illustrissimi Dni Palatini Sandomirien.* virtute & fide opinionē concepit, & ad ea impellentibus malis suasoribus crudelem animum deflectit, quæ nec cogitationem nostram subière, & quæ authenticè deducere, Depositionibus Nuntiorum Militarium, Responso Nostro, ac illius ipsius, cujus ingenio ac limâ responsum istud stetit, testimonio nobilis generis præstantis, Terrestrique munere insigni paratus sum.

Progreditur deinceps & objicit, Quòd tunc cum Sacra Regia Majestas contra Colligatum exercitum motis Castris procederet, sentiens evocatos per Sacram Regiam Majestatem Tartaros, ad tollendum Exercitum & Nobilitatem, declaraverim me velle Colligatis adhærere. Attigi non nihil de hoc puncto tunc, cum ad objectam Mandati secretij divulgationem replicavi: quoniam verò iterùm mentio hujus Incidit, seriem rei gestæ pando.

Posteaquam *Javeroviam* convenientes *Illustrissimi Dni Arcie piscopus Gnesnensis Palatinus & Castellanus Sandomirien. itemque Castellanus VVojnicensis*, me quoque præsente in consilio consedissent; Accurrit è Legione D. Castellani Camenecens. *Eques*, nuntians certas *Tartarorum* legiones contra *Nexum* evocatas

catas appropinquare, & ad oculum visas esse; Firmavit id posterâ die ejusdem Legionis Commilito, posteaquam Scytham à speculatoribus ad *Cameneccinm* captum præsentavit. Referat hîc nniversus Exercitus, quid uterque horum Equitum denuntiaret. *Tartaros* scilicet eo fine accersitos, ut exercitum exscinderent, Nobilitatem tollerent, prout fuêre non modica horum præludia, in Palatin atibus præsertim *Podoliæ ac Volhyniæ*, ubi Incolis ac Nobilibus *Scythica* barbaries non pepercit. Tali ergo Nuntio motns, fervente intra affectu ac dolore, non inficior quod in ea verba prorup erim, verso ad Illustrissimum Primatem sermone, *Tibi Illustrissime Primas, incumbit providere remedia, quandoquidem Sacra Regia Majestas cervicibus nostris Tartaros superducit; expedit enim magis omnibus, ut honestè in acie cadamus, quam scrutantibus Domos nostras barbaris sigillatim colligemur, & secanda in limine earundem Domuum colla turpiter hosti præbeamus.* Nec verò dictis his nllum subesse crimen reor; qualia enim ab Aula cuduntur Consilia, talia in hominibus subsequi debent effecta. Immò iteratò proclamo, adeò turpe & in omnem posteritatem infame fuisse id evocatorum per Sacram Regiam Majestatem Tartarorum Consilium & factum, ut nullâ unquam dignè eluì possit ratione. Quod verò ego in hæc verba prorupi, quid devium commisi? Non modo enim ego, sed nemo alius Patriæ addictus, & gloriam majorum præ oculis habens, potnisset ad talia connivere, aut tunc domi ignavè desidens voluptatibus indulgere, quando Sacram Regiam Majestatam videret *Barbarorum* copiis succinctam, ad tollendum tàm Exercitum quàm Equestrem Ordinem imminere. Est profectò, quod debere se sentiat Patria talibus consiliis, soliditatemque eorum deprædicet. Sed enim cœptam texit telam improba mens.

Sensus optimus & optimi Civis.

Pensatâ causâ nostrâ & Reipublicæ justa Viribusque mediationis officium spontè assumseris &c.

FAteor totum; namque Patriam meam agnosco, in quâ ab octingentis & ampliùs annis per stirpes & propagines succrescit Domus mea, & audacter dico quòd plus in ea possideam jurisque habeam, quàm Serenissima Regina & omnes illi Mandati in me editi architecti. Non ergo mirum si calcaribus quibus ad opitulandam Patriæ huic inciter, non egeo, nec enim tunc etiam, cum effusa erga benè meritos Cives Principum liberalitas ingens ad ampliùs benè merendum stimulus fuit. Sed quorsum involvens agitur? Fateatur sincesè Aula, ex voto illius cessisse, licet spontè hoc mediationis munus assumpserim: namque tunc gravibus concutiebatur terroribus; Attamen quò solitum in me ebulliret odium, hoc etiam quod sibi gratissimum accidit, in contrarium verti placuit. Verùm ne inaniter tripudiet; Dico me ad mediandum vocatum fuisse, & his, quas insero, probo literis.

Illustr. Dne Magne Regni Marischalce
Domine & Frater Colendissime.

INcredibiliter doleo quod Illustr. Dnus Castellanus Sandomirien. valetudine tardatus non potuerit prosequi captum ad Celsitudinem Vestram iter, quod tanta urgebant momenta ut ab eodem Integritas Patriæ pendere videatur. Utinam meliori omine viam ineat meus Reverendus Silnicki & Celsitudinem Vestram demissis precibus flectat, quatenus ad Me Fratrem & Servum quantocyùs festinet.

Literæ Primatis Regni vocatoriæ ad tranquillandum exercitum.

En

En denuò iteratis literis compello Celsitudinem Vestram, & per omnia sacra peto, dignetur quantocyùs convolare ad sopiendam hanc flammam, quæ jam biennio grassatur, & nunc propemodum in id tendit, ut Patriam in favillam & cineres redigat. Jam Mihi media non succurrunt, & deficio in his tractatibus ac Modis conciliandæ domesticæ Tranquillitatis, Tota spes & ratio in solâ Celsitudine Vestra consistit. *Cui de industria numen hanc servat Gloriam partæ in Patria Malaciæ, & id certò succedet datâ Celsitudinis Vestræ præsentiâ, modò dignetur saluti Patriæ, & meis submissis postulatis, hanc donare fatigationem; alias instat propinquus Patriæ interitus & fatalis periodus.* Expecto cum ingenti alacritate Celsitudinem Vestram, *magnoq; cum desiderio præstolor ejusdem Celsitudinis præsentiam hic in loco meæ Consistentiæ. Cujus gratiæ me cum propensionibus meis diligentissimè commendo. Janovia 27. Junii Anno 1663.*

P. S. Mi Illustrissime Dne Frater, peto digneris hanc subire fatigationem, quam flagito, & venire; momentis res constant; præsentia Celsitudinis Vestræ omnia certo componet.

Illustr. Celsitudinis Vestræ Addictissimus
Frater & Servus

Venceslaus Leszczynski Arch. Gnesn.
Manpr.

Illustrissime Domine Magne Regni Marischalce
Dne & Frater Colendissime.

Aliæ ejusdem literæ

REdiit Meus Reverendus Silnicki *cum contestatione fraternæ Celsitudine Vestrâ propensionis, & literis quibus ut respondeam opportuniori tempori reservo. Per Amorem Patriæ demissa mea postulata Celsitudini Vestræ offero, dignetur die Sabbati* Javoroviam *ad horam decimam antemeridianam descendere, ad quam horam ego quoq; convolabo, cooperabimur mutuo, ut hunc Nexum possimus dissuere, & ad obsequium Regiæ Majestatis reducere.* Non diffido quin Celsitudo Vestra ad tantam gestorum gloriam, quæ sera Posteritas perenni consignabit memoriæ, hanc quoque additura sit coronidem, ut in tam terribili æstu Salves & Serves Patriam, *quod iterum enixè observando, Fraternæ Celsitudinis Vestræ Amori cum omnimoda propensione diligenter me commendo. Janovia 28. Junii Anno 1663.*

Illustr. Celsitudinis Vestræ Addictissimus
Frater & Servus.

Venceslaus Leszczynski Arch. Gnesn.

PRoduco & tertiam Epistolam ab Illustr. Dn. Joanne Wielopolski Castellano Woynicense in eadem materia scriptam.

Illustrissime Domine Magne Regni Marischalce
Domine Mi Colendissime.

Item D. Castellani Woynicensis.

HEsternâ statim die postquam adveni, salutato primùm Illustr. Archiepiscopo, adii Regias Majestates. Serenissimam Reginam dispositissimam offendi quoad Intentiones Nostras. Cum Serenissimo Rege longiores mihi in audientiâ nectendæ erant moræ. Ubi tamen è variis sermonibus conjeci fore, ut facile redintegretur Confidentia, ante nihilominùs opto, & ardenter efflagito, quatenus sepositis considerationibus descendat Celsitudo Vestra huc* Javoniam ad Illustr. D. Archiepiscopum *ad componendum, seu veriùs ad terminandas cum Exercitu transactiones: Nam tametsi Regia Majestas Juramentum requirat, usq; statim in limine numeranda pecunia* Nexum *dissolvant, adventu Celsitudinis Vestræ complanabitur id totum, & post accommodationẽ exercitûs, omnia faciliùs succedent.*

Usq;

Ueiq; Celsitudini Vestræ patet genius Regiæ Majestatis, qui ut ad concupita flectatur non est illi contra eundum, quod ego animitùs opto. Ad præsens maneo cum demissis obsequiis meis.

Illustr. Celsitudinis Vestræ Addictissimus
& Demissus Servus
Joannes Wielopolski.

P. S. *Quale responsum dederit Exercitui Illustrissimus Palatinus Crac. mitto Celsitudini Vestræ, sed opinor, quòd poterunt immutari puncta adventu Celsitudinis Vestræ. primùm ut numeretur pecunia ante solutionem Nexus. Deinde ut illis Exequutio Militaris concedatur.*

Manu propria additum,

Mi Dne Benefactor, accelera; nam expedit ab utrinq; futura consideranda.

VIdeat ergo Malitia, quàm justè taxet obsequium illud meum Patriæ impensum? & quàm falsis pascatur criminationibus, in quibus specialem sentit gustum.

Excogitaturum te quiddam aliud ore tuo professus es &c.

HOc verò quàm sit tyrannicum, dijudicet quilibet, quando Cogitationes ad examen vocantur. Superest ut somnia quoq; & his paria imaginaria, editis Mandatis in disquisitionem trahantur. Erat verò opportunum tempus, cum in exercitu essem, & ab eodem incitarer, quatenus salutare aliquid excogitarem & ordirer in rem Patriæ libertatumque ejus, nolui tamen ejusdem Patriæ obesse tranquillitati, & potiùs omnia studia contuli, omnes conatus eò converti, ut quantocyùs satisfacto exercitu Pax effloresceret, & tandem probatâ meâ innocentiâ S. R. M. eluceret. Et verò testes habeo ipsosmet Dnos Milites, qui *Javorovia* interfuerunt, quòd quicquid in me esse poterat, totum contuli ad firmandam cum iisdem pacificationem, licet hoc sinistro animo acciperetur: Namque loco gratiarum actionis, eò quòd cum *Illustrissimo D. Palatino Sandom.* uterque venissemus invitati ab *Illustrissimis Primate Regni & Castellano VVoynicen.* dixit Regia Majestas in castris suis publicè formalia: *Canes sanguine horum Protectorum satiabuntur*; addidit *Convitia, Increpationes, Probra, laxatis affectui habenis*, quæ nō modò natis in libera Repub. sunt intoleranda, ubi ligatus est conditionibus Princeps, & ubi minimus Equitum, æquè honestissimis gaudet natalibus, ac quivis Regum; sed illic quoq; parciùs esset adhibenda, ubi subditi servitutem serviunt, & pro libitu ad necem trahuntur Cives. Tulimus ea omnia patienter, cum Illustrissimo Palatino, secuti illud monitum: Ut imbres & nives ac cætera naturæ mala, ita vitia Principum toleranda. Cæterùm tamen alia longè deberet servari ratio in libera Repub.

Nova tyrannis judicare de Cogitationibus.

Serenissimi Verba.

In gente libera quam gravia?

Jam hîc solutus est nexus, & objicit tamen impius Mandati hujus repertor, quòd Confœderationum ad tempus Interregni votumque & suffragium conservare voluerim. Ad hoc confutandum introspiciat quilibet biennales Exercitus contra me furias, quas publicis Legationibus, scriptis sermonibus, in Congressibus militaribus & Comitiis & ubicunque mentio incidit mei, habitis, satis superque egessêre. Introspiciat ex adverso ac penset, quid circa pacificationem Exercitus toto hoc durantis confœderationis tempore egerim. Misi inprimis sistendo, si quâ posset, revocandoque exercitui, dum jam trajiceret *Istulam*, *D. Judicem Terrestrem Cracov. & D. Vexilliferum Pramislien.* & post hos statim *D. Pieniazek & D. Golinski.* Ipsemet deinde, socio Illustrissimo *D. Palatino Crac.* accinxi me *Andreioviam* versus itineri, præmissis qui aditum munirent *D. Hynek, D. Sitnicki & D. VVyzycki.* Iterùm ad Generalem

Aperta mendacia ostenduntur.

ralem militarem circulum *Olberiæ* celebratum misi *D. Vexilliferum Pramislien.* & *D. Hynek.* Domini quoque Commissarii illuc commeantes ad me divertebantur; quibus utilem Informationem dedi. Ac demum tam iniquo & intempestivo anni tempore resolvi me ad aggrediendum *Olboriam* iter comitante *Illustr. D. Palatino Sandom.* quo nomine *Illustrissimus Primas* Regni per literas gratias mihi egit. Denuò *Zavichostiam* eundē *D. Hynek* ablegavi, ac novissimè, licet directè ab Aula non vocatus: nam virtus mea perstringebat cujuspiam oculos, innata tamen Patriæ stimulante charitate, accedentibus præterea supra positis *Illustr. Duorum Primatis Regni & Castellani Vvoynicensis* invitatoriis convolavi *Javoroviam.* Producantur ergo omnes datæ tunc per me Instructiones, & ipsi præterea Ablegati sub conscientiâ recognoscant, utrum singula puncta earundem Instructionum non eò tenderent quatenus oprata pacificatio Exercitus quantocyus sequeretur, & tantum onus à cervicibus Reipub. depelli valeret? Fateantur & illi, qui in comitatu meo aderant, & proferant dicta, consilia, acta, tractatus, quos habebam.

Immò conatus ejus probantur. Præterea Exercitus è peregrinæ militiæ legionibus conflatus, ipsemet testetur, quâ solertiâ eosdem illicere laboraverim, ut à Nexu abstracti, in partes Reipub. transirent. Superest *D. Otho Fridericus Felkerson*, quo mediastino pleraque egi, is recognoscat palam utrumne sincerè egerim, & sincerum ad obsequium Majestatis eosdem vocare studuerim. Et annuerat jam dextrum Numen conatibus meis, verùm Aula gestis meis semper obliqua, quemadmodum alia mea opera trahebat in suspicionem, ita hoc quoque studium traxit. Insuper *Polonica* legiones aliquot volebant à *Nexu* recedere & mihi Cracoviæ conjungi, jamque ad eum effectum S. R. M. majoris securitatis gratiâ destinaverat mihi certas Equitum Scloperariorum (Draganos vocant) cohortes, sed brevi in æmulorum vertiginosis cerebris crevit suspicio, quasi hac viâ adversus Aulam vires conquirerem, & legiones muniendæ potentiæ meæ adsciverim; Atque ita utrumque facinus prius æque ac posterius livor impediit, & ego Crac. aditu arceri jussus sum, cujus rei habeo testes qui tunc è Polono Exercitu mecum convenerant, hi fatebuntur.

Novissimè Literæ meæ quas publicè & privatim ad exercitum scribebam, proferantur, ex his quilibet judicet, num intentionis meæ fuerit extrahere in longius Nexum, ac eundem ad interregni tempora propter votum & suffragium conatus sim prorogare, ut verò melius constet id quod scribo, aliquot hic literas ad exercitum directas insero. Censeat præsens æquè ac futura ætas, num ego Confœderationem fomentaverim vel probaverim, aut quemadmodū obstrepit Malignitas aliquam eidem complicitatem præstiterim, num deniq; (quod caput est confictorum in me criminum) Mandatum tale, ac tam iniquum quo ictus sum, Decretum meruerim.

Magnifici Dni & Fratres.

Literæ ad colligatū Exercitum. *E præsenti quem celebrare debebitis Generali Circulo, criticus Patriæ pendet dies ab hoc die si Dnes Vestræ sana amplectentur consilia, optatæ Regno huic in subsequentia secula decurrent felicitates; aut si è contra in devia abduci patiemini, imminet Regno formitanda illa Numinis maledictio,* Divisum desolabitur, *hac impulsus consideratione quando video Dnes Vestras extrema arripere consilia, tertium jam tanquam* Senator & Officialis *ad Fratres tanquam* Dux *ad demeritos Milites scribo ad Dnes Vestras, utroq; hoc titulo Nobiles compellando pectora, quatenus Dnes Vestræ, & tanquam genuini Patriæ hujus filii, debita* Paterna admonitio. *erga eandem moti charitate, habito ad integritatem Patriæ respectu, Vestras attemperetis propensiones, & tanquam Milites Protectores ejusdē*

non in ruinam(quod Deus avertat)Rempub.præcipitetis,verùm de subsidio, tutelâ & conservatione illius cogitationes ineatis. Nec verò ullis qui in contrarium jactantur Dnes Vestræ patiantur constantiam suam abduci rumoribus (hi enim sunt frequentes & infelices temporum horum partus) non expedit ponere rumores ante salutem, sed totam consiliorum vim in eo oportet defigere, penitiùs considerando, quod Respub. tot malis fessa quantum potest confert, & perconsequens ultra possibilia durum & arduum, quatenùs hoc respectu permoti desideratam (quemadmodum in primo Olboriensi *tractatu conclusum & mutuis ratificatum fuit juramentis) cum eadem velitis amplecti concordiam. Ita fiet ut Dnes Vestræ & justissimam partorum tanto sanguine meritorum recipient contentationem, & ad perennem posteritatis memoriam, nominis sui famā propagent, quando conservabitis Patriam in qua Gloriam primariò Dei, sacrum deinde S.R.M. nomen,* Avitas Libertates, Communem totius Patriæ & *privatam cujusvis in ea degentis securitatē*, Majorum Vestrorum posterorumque immortalem memoriam præ oculis habere debetis. *Hæc omnia quemadmodum conservationem suam à Moderno (faxit Deus sano) consilio Dnum Vstrarum sortiri debent ita nisi* Amor in Patriam *Dnum Vstrarum & prudens rerum temperamentum intervenerit; hæc eadem cuncta irreparabili succumbent damno. Velint ergo Dnes Vestræ viriliter sanè inducere mentem, ut super omnia pretia Integritas salusq; Patriæ apud Dnes Vestras præponderet, & summam impleat æstimationem, nec tàm rigidi Exactores quàm discreti & amantes ejusdem Filii videri velitis, & providendo ne (quod absit) interno conflagret incendio quo grassante omnia in pulvere subsidere deberent, felicem tandem æstibus hisce terminum ponatis Patriamq; integra beare tranquillitate per reassumptionem in hoc generali circulo sancitæ jàm ante concordiæ dignemini. Quoniam verò ad concernentem Dnes Vestras satisfactionē præstandā non modicum hinc ortum est impedimentum, quia per literas universales recens in præterito militari circulo editas, pecuniæ in Palatinatibus restantes sunt interceptæ & extradi inhibitæ. Opto ut Dnes Vestræ justam hic adhibeant reflexionem, quādoquidem sunt pleriq; ex privatis qui hac leti occasione supprimunt interim nec ad Commissionem pro debito officii devebunt extraditas jam à Populis contributiones, & consequenter pecuniæ quæ per Palatinatus inhibitivo freno sunt coercitæ* Leopoli *Dnis Vestris juxta conclusa in primo Olboriensi tractatu promissa non possunt exhiberi. Extorsit has à me ad Dnes Vestras Amor Patriæ, à qua dum jam jam incumbentem perniciem averti opto, Oro Dnes Vestras & obtestor ne qui per tot discrimina ejusdem Conservatores fuistis, repentè Parricidæ facti, manibus eam propriis stranguletis. Expressit Zelus quo provisum cupio Militari DD.VV. reputationi tot gloriosis gestis, non modo per* POLONIAM sed Orbem Universum *clarescenti; quatenus potius generosè tanquam Milites & Filiater tanquam Cives, cum Matre Repub transigentes, talibus qualia in hac publicā Egestate corradi possunt stipendiis acquiescatis. & perennem ad* Posteros Nominis Vestri gloriam *extendatis, quam* Armis (*avertat Deus*) Civilibus, & Patriā & Merita Vestra, & Majorum Famam, & Populorum *sub hac Corona degentium securitatem*, Majestatis deniq; Divinæ Gloriam intervertatis. *His pro meā erga DD. VV. propensione Amoreq; Boni publici scriptis, Fraterna Mea obsequia, gratiæ DD.VV. diligenter commendo. Lancuthi &c. 10. Aprilis 1665.*

Non dissimulatio. Prudentissimum consilium.

Magnificarum DD.VV. addictissimus Frater & Servus

Georgius Lubomirski Mar. & Dux Ex. R.

Magnifici Dni & Fratres.

Aliæ ejusdem literæ ad Exercitum.

STupefactâ ac emarcidâ penè manu, ad has Dominationibus Vestris scribendas descendo literas, dum attendo quod Extrema aggressi estis Consilia, quandoquidem Amicabile Colloquium (*quod etiam hostes admittunt*) nobis Civibus, Senatoribus, Officialibus Regni, Commissariis hujus Patriæ; Titulo & Jure Legationis Auctorizatis, contra fas & Jus Gentium denegastis. *Horret animus meminisse eorum quæ sequvuntur; nam* subditis, Domini sui, Civibus Reipub. Legatos dedignantibus, & Milite Ducem alloqui aspernante, *quid ultra spei? quandoquidem omnia insumpta hactenus per Rempubl. hoc uno DD. VV. facto spreta calcataq; sunt Media. Me equidem non Lex aut obligatio muneris Mei (hæc enim Intermedium Me magis Exercitus ac Commissionis, quam Commissarium statuit) ad id strinxit, quod Me huic accinxerim viæ,* veneratio Majestatis ita ordinantis *hoc evicit,* Affectus propensioque Mea solita erga Exercitum *effecit, & super omnia* Amor Patriæ, *quam periclitantem,* vitæ Fortunarumque Mearum *dispendio fulcire, & cujus causa* omnes Invidias, Offensiones, Ingratitudines, *exporrectâ fronte subire paratus sum ac teneor, adegit. Impellor ad eadem Exemplis præteritorum Ducum, quæ nec in Meâ desunt Domo, quando* Chocimensem Nexum Parens Meus Dux ad Chocimum totius Exercitus, *æquali Reipub. ac Exercitus contentatione, pacificavit. Hoc ergo Zelo Boni Communis, ac Exemplis Antecessorum in Officio Meo, sangvinisq; Mei incitatus, aggressus fueram laborem istum, præsertim tam* Illustribus *in hâc Patria viris adjuvantibus; cum quanto dolore regredi cogimur,* Regiæ Majestati & Reipub. tam impium Nobiscum processum denuntiaturi, *difficile est explicare. Adhuc nihilominus semel (quandoquidem DD. VV. Colloquia non admittunt) placuit literaliter DD. VV. obtestari per Amorem* Patriæ, *& illas omnes quas in se Bonorum Civium complectitur Charitates, velitis ad temperata Justa possibilia cum Repub. paciscendi flecti Media. Defervescat non nihil hæc animorum tempestas Interitum* Patriæ & DD. VV. *procul dubio allatura; Ego autem assecuro, brevi DD. VV.* Merita fuso cruore parta, *justissima repensum iri Contentione. Hoc S. R. Majestas Dnus meus vigili curâ, & Paternâ satagit solicitudine;* Dominus ille qui veluti in Commilitium Nostrum adlectus esset, dies auspicatæ Dominationis suæ, melius castris quàm annis numerat, quem sæpiùs vidimus in Equo quàm in Throno, sub Tentoriis quàm sub Aulæis, *in cujus vultu quis unquam Militum tristis abscessit? Sub tanto militaris virtutis Promotore, quis de stipendiorum solutione dubitet? Idem* Commissio *allaborat, velint DD. VV. ad eam quam in priori Tractatu declarastis reverti* Patriæ Charitatem. *Concedant Nobis quantocyus debitum, ad ineundas secum conferentias tempus; Confidimus in Domino, ut & Patriæ Tranquillitas expedita, &* DD. VV. *æquissima brevi reddatur satisfactio.* Protestor coram Deo, Patria & Ipsismet DD. VV. Quia omnia ea quæ Reipub.

Carpit eundem quod Commissariis colloquendi facultatem negarit.

Se ex officio Ducis Tranquillando Exercitui studere debere ostendit

Serenissimi Regis affectum erga Milites ejusq; bellicos labores deprædicat.

Adjuratio Exercitus ut Pacem amplectatur.

pub. Chariſſimæ Meæ Patriæ, tanquam Senator, Dux, & Civis, Fide, Zelo, & Conſcientiâ rectâ debeo; explevi Amore illius, explevi Amore veſtri; Cohibui faces incendiarias, quamdiu Media ſuppetebant, providi ne quid detrimenti Reſpub. ne quid Exercitus caperet. *Mea interim ſolita obſequia* DD.VV. *defero.*

Tacite innuit datum ſe Conſilium S.R.M. in caſu quo Exercitus agerent de quo infra.

Magnificarum DD.VV. Addictiſſimus.

Frater & Servus.

Georgius Lubomirski Mpr.

VErùm ex literis quoq; ad Generoſum Joannem Bieijkovvski Judicem protunc ac Conſiliarium poſt Præſidentem in Exercitus Commiſſione Leopolienſi datis, patebit Animus Meus, quas hîc de Verbo ad Verbum annecto.

Generoſe Dne Bicjikovvski & Frater.

J*Am ſatis ſuperq; fuit hujus Inſaniæ: Biennium præteriit in quo tantum admiſſum eſt errorum, ut non modò* Dominanti, Sacro, Equeſtrique Ordini, Pauperibus ſubditis; *verùm inſuper propter miſeriam & lacrymas inopum, vindictam in cœlum clamantium,* Deo ipſi graves & abominandi extiteritis. *Jam omnes anhelant videre malorum terminum, etiam (ſi fieri aliter non poſſet)* per Veſtrum Exterminium; *Jam res verſantur in extremo; aut componatis neceſſe eſt & acclives Domino accidatis; aut tùm ipſi peribitis, tum Rempub. in eundem interitum vobiſcum præcipitabitis; Rex enim quem olim Exercitus bello Svetico implicitum deſeruit, ut extra fines Regni cedere debuerit, cui nunc iterum armis circumſtrepit & minatur; cogitare seriò debebit, tàm de juſtâ ad præſens ultione quàm in futurum de ſecuritate ſuâ & Regni, quod ſine Mutatione ſtatus fieri non poteſt, & quidem leviſſimâ ex causâ; nam de ſolis jam duntaxat Ceremonialibus agitur, quis prior Alterum convenire, aut Nuntios ad eundem mittere debeat?* Per Deum nunquid non convenit magis ſubditis accedere Dominantem? *Hoccine tanti momenti eſt, ut eâ de causâ Tranquillitas publica ſubvertatur evidentiſſimo periculo? Pecunia numeratur quod verò in paratu deeſt, per datas aſſignationes ſuppletur quæ ut ſint certiores adhibitis debitis modis providebitur: Ecquid rogo DD.VV. alia puncta concernunt? Adhac, Rex Sereniſſimus tendit ad Caſtra, & Commiſſio terminum ſortiri debebit, veniunt privatim in rem Sereniſſimi conducti Exercitus è* Lithuania, *aderunt ab extra, quæ in vicino excubant Legiones; Ita pecunias amittetis, in opprobrium devenietis, Rempub. in diſcrimen jacietis.* Meo ſvaſu paciſcamini. *Mittite ad S.R.M. Recipite eas quæ parata ſunt antequam diſtrahantur ſummas, Aſſignationes cum aſſecuratione ſuſcipite; Ac demùm ad Bella Patriæ accingimini. Imminutam Nominis Veſtri Famam recuperate, & poſt hoc* Turpe otium *Tranquillitatem Patriæ armis ſtabilite.* De Protectoribus *ne quidem in mentem veniat. Hæc pro confidentiâ & affectu Meo inſinuo, ſolita interim obſequia Mea D.V. offero. Datum Lancuthi ultimis diebus Maji 1663.*

Suadet ut Exercitus inſtantius Rei, ub. acquieſcat.

Generoſæ D.V. addictus Frater & Servus

Georgius Lubomirski.

SUffragatur adhuc ad diluenda objecta Conſilium Meum S.R.M. datum ante Commiſſionem Leopol. in caſum quo Miles Colligatus pervicaciùs ageret; per Generoſum D. Wyzycki Dapiferum Novogroden. miſſum, ex quo ſpectantia ad præſentem Materiam puncta attexo.

Conſilium datum Sereniſſimo ſi Colligati pervicaciùs agerent.

PRimum. Si forte furor popularis valesceret (quamvis D. Marschalcus confidat quod in Generali hoc qui agitur Circulo remissurus sit) & nullis componi rationibus valeret, ea censet remedia efficacissima. Primum, quodque differre videatur damnosissimum, ut Sacra Regia Majestas hoc Exercitu quem habet in procinctu comitata, transeat Istulam, & fixâ Samboriæ residentiâ, maximam partem Exercitus circumcirca collocet, dispositis non procul ab invicem Legionibus. Assecuro seqvuturum hinc, ut Minoris Poloniæ Palatinatus Fidem Arma Nexum; illi verò trans Istulam siti omnia hæc quæ debent robustis adesse consiliis, ad obsequia Regiæ Majestatis conferant in omnem casum; Ita habebit Regia Majestas abundè alimenta, illic enim Oeconomia Samborien. Ditiones ad Magnum Arcis Cracovien. Procuratorem spectantes. Salisfodinæ utræque Præfectura VVislicensis. Habebit Exercitui subsistentiam, namque inde fortissimi veniunt delectus, tàm exterarum quàm patriarum cohortium. Habebit modos avocandorum viritim à Confœderatione Militum, illarum enim Regionum Incolæ vel maximè dant nomina Militiæ, & illic Parentes, Patruos, Fratres, sangvine junctos, Possessiones habent, atque ita respicere ad Fortunas, Honores, Bona sua vel suorum debebunt.

Svadet ut Samboriæ maneat.

Commoda ex inde seqvutura.

Si noluerit Exercitus Commissionem & pecunias acceptare, proderunt pecuniæ ad novos delectus, si voluerit nihil actum, quod eandem irritare possit.

Curandum ut post festinatum S. R. M. Samboriam adventum, Particularibus qui minus suffragantur *Nexibus* sublatis, Alius Generalis juxta Instituta Regni condatur Nexus; cui ipsemet Rex Serenissimus tanquam Dominus, Exercituum verò Duces tanquam Legitimi Rectores præsint, præmissâ omnimodâ eliminatione suspicionum & diffidentiarum. Ita enim formatus Nexus, quemadmodum plus in se legitimitatis continebit, sic illi etiam plus auctoritatis & roboris inerit; Universi namque confluent illuc, ubi Principem esse sentient, ad tuendam Majestatem, Honoremque illius, ubi de Repub. agi videbunt, ad opem ferendam Patriæ integritati.

Ut Generalem Nexum pro tuenda Majestate sua ac Reipub. salute instituat.

In his omnibus suadeo non procrastinandum, ne illud eveniat, dum Romæ deliberatur Saguntum capitur, ne dum nos consultationibus & disquirendis Consiliis vacabimus, illi aliquid interim attentent, exemplo præsertim Petricoviæ, Calissii &c.

Non procrastinandum.

Ad extremum de Meo erga S.R.M. affectu & de zelo in Patriam assecuro planè: depingant Me ut lubet Æmuli ac deferant ad S.R.M. actusque Meos sinistrè interpretentur, quò arctiora (avertat Deus) Rempub. stringent urgebuntque tempora, eò magis clarescet virtus Mea; namque ita sum in debitâ erga Principem ac Patriam obfirmatus fide, ut pro utroque hoc, & Mortem subire & extrema quæq; perferre paratus sim.

Se utramque suam Majestati offert.

Addo

ADdo in supplementum Literas Exercitus peregrinæ Militiæ more culti, qui operâ meâ recedere à Nexu voluerat, & intentum hoc suum Mihi declaraverat: Cum quo ut efficaciter tractare possem, ac eos de stipendiis assecurare, transmissa est ad Manus meas à S.R.M. Plenipotentia. Cujus hoc est essentiale.

Exteræ Legiones suasu D. Marschalci à Nexu volunt recedere.

Joannes Casimirus Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

SIgnificamus &c. Ad quod perficiendum ne illi facultas & potestas desit, eandem hoc Nostro scripto damus & conferimus, ita ut quicquid rigore dictæ Potestatis Nostræ sibi concessæ prædictus Illustris Marischalcus Major ac Exercituum Campi Dux cum præfatis Legionibus, Regimentis, Phalangibus, Vexillis, Turmis, & cum quacunq; illorum parte, ratione reversionis ad Obsequium, & Fidem Nobis Patriæq; datam composuerit ac concluserit, id totum ab illo pro rato & grato suscipiamus acceptemusq;, & juxta eam quam cum præmissis confecerit Transactionem omnia adimplere verbo Nostro Regali promittimus. Datum Leopoli die XIV. Maji Anno M. DC. LXIII.

Plenipotentia Regia data ad pacificendum cum illis.

Joannes Casimirus Rex.

SEqvuntur literæ à Præfectis Exteræ Militiæ scriptæ ad Illustrissimum D. Marischalcum, recessum à Nexu spondentes, arbitrio illius.

Illustrissime Princeps Marischalce Regni Major
Dne & Benefactor Noster Colendissime.

HUmilibus & promptissimis Obsequiis Nostris in Gratiam Celsitudinis Vestræ, Domini & Benefactoris Nostri recommendatis, Valetudinem prosperam, unà cum Fortunarum augmento, faustisq; progressibus in Nestoreos annos promiscuè vovemus & precamur. Quia verò in præterito Generali Circulo, è quo tot a futuri boni spes, salusq; Reipub. pendebat, malevoli crebrosiq; homines, qui extremum Patriæ appetunt interitum, prævaluère, idcirco Nos periclitanti & penè in filo pendenti Reipub. pro debito & innato Amore Nostro, auxiliatricem Manum porrigere destinavimus. Fatemur quod per tantum temporis intervallum in Conjurato Nexu fuimus. Verùm id totum partim non tam libenter quàm reverenter fieri debuit, partim dum sangvine tinctorum Mercedem laborum, ac benè merita stipendia recipere nequiremus, aliâ honestâ ratione, sine ullo tamen Regiæ Majestatis & communis boni Patriæ dispendio, requirere eadem coacti fuimus. Quæ tamen omnia non sine gemitu bonorum per directionem Malevolorum terræ illisa sunt, & eæ faces incendiariæ quotidie conflantur, quarum infelicem eventum Numen avertat. Verùm propositum hoc totius Exercitus, Nobis & modo nostro contrarium est visum, quocirca ad illicita media nullo pacto adduci possumus nec volumus. Tandem respiciendo Regem & Legem sincerè anteactorum Nos pœnitet, & ad pedes Celsitudinis Vestræ deprecando prosternimus, humiliter sub tutissimam Protectionem Illustr. Celsitudinis Vestræ Dni & Patroni Nostri Colendissimi properando, atque exinde prima reassumere volumus (completo tamen prius moderno tractatu) Obsequia & Obedientiam. Ad quem effectum Generosum Dnum Theodorum Bronau *è Medio Nostro ad* Celsitudinem Vestram *ablegamus cum Instructione, cui ut fides detur instanter petimus. Certi de Gratia Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ, quod meritam gestiis*

Literæ ab Officialibus & Præfectis Peregrinæ Militiæ pollicitantibus recessum à Nexu.

Fidei ac Protectionis se Mericaque sua permittunt.

gestis, fidelibusq́ servitiis nostris, toto hoc tempore Patriæ impensis (quam hactenus anxiè disquirimus) tandem reportabimus gratitudinem; & præterea vita, salutis, Honorum, accedente fortunatâ protectione & promotione Celsitudinis Vestræ Dni & Benefactoris Nostri quam Nobis indubiè appromittimus, certi erimus, assecurationemq́ super præmissis obtinebimus. Interim communiter Nos Gratiæ Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ commendamus. Datum Thorunæ, 23. April. Anno 1663.

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Dni & Benefactoris
Nostri humiles & addictissimi servi
Elias Lacki Oberster Leitnant. R.M.
Joan. Sigism. von Tottau Centurio R.M.
Adamus Jacobus Gralevvski Centurio R.M.
Ottho Fridericus Felkierson Cen. R.M.

ADdita fuit ad hasce literas Instructio, D. Theodoro Bronau Centurioni Regiæ Majestatis data, ab eodem Exercitu, mihi reddenda, quam unicuique exhibere paratus sum authenticam, subscriptionibus & sigillis suprapositorum Dominorum munitam.

Ex præmissis deducit nunquam mentis suæ fuisse prorogare Nexum.

Ex his igitur Literis, Informationibus, Legationibus, ex alacriter inita per Me ad Colligatorum Exercitum viâ, liquet palam, *quod toto studio in id incubuerim quatenus Nexus ille quantocyùs dissueretur*; Vel exinde enim, quia Dux cum essem, at Exercitu destitutus degebam, non medioeri ad pacificandum Militem stimulo urgebar; Quomodo ergo subsistere potest quod objicitur *Quasi Nexum protrahere & ad tempora Interregni prorogare voluerim*, qui tantam ad dissolvendum eundem diligentiam adhibui? Aut si voluisse prorogare credor, cur sub *Janovia Protectoris nomen* non assumpsi? Cur ad certamen flagrantibus, oleum non affudi? Cur totis viribus ne armis decerneretur impedivi? Cur paratis ad omnes Mecum ac cum Illustrissimo D. Zamoyski incundos tractatus, præstandumque Juramentum assensum non præbui? Cur cogitata illa quæ nunc impiè Mihi objiciunt, affulgente opportunitate, effectu non complevi?

Discernat obsecro quilibet, quàm justè talia mihi fuêre objecta, & rigore illorum Judicium subii.

Nobis contra hostes Nostros & Reipub. ducentibus & ipse defuisti & milites ab expeditione eadem alienos reddidisti: Peditatum Nostrũ & Reipub. per subordinatas personas ad seditionem solicitari fecisti: Utque pars ejus ex castris elaberetur effecisti &c.

Rationes quare non sequutus Regem in Ukrainam.

QUemadmodum singula quibus Mandatum hoc infersisti sunt Falsa & Mendacia, ita hoc quoque quod infers. Defui fateor, & ad hanc Expeditionem non descendi, neque enim paribus illiciis Prædecessores Regiæ Majestatis trahebant Cives ad obsequia sua, præsertim utcunq; prodesse valentes ac S. R. M. Me traxit. Digressus sum Leopoli stipulante Illustrissimo Primate, securus Gratiæ Regalis, & ex mente ejusdem Serenissimi Regis jussuq;, totius Exercitus gubernationem ad *Sokolnicki* tanquam legitimus Dux assumpsi; Nec dum *Lancuthum* deveni, & ecce omnes Mei delectus Meæ Legionis (quamvis tunc tota Divisio Mea unicâ duntaxat Legione constaret)

Legio nes illius omnes exeu-

ret) Cohortes solutæ & manumissæ, Quisquis præterea Amicus Mihi visus, is Militari servitio abdicatus, *Eo solo titulo quia fautor Marischalci.* Penset Respub. numerum abdicatarum Cohortium quem hîc attexo, ac judicet quâ intentione totum id actum, & num tam Insignes multis pro Patria gestis Clari Heroes tale meruerint opprobrium. Nonne satius continendæ erant sub signis Cohortes infra scriptæ?

Exauctoratæ solo incitante odio.

Cohors Hastatorum Filii Mei Cap. Scepusien. Cohors D. Caste. Culmensis. Cohortes DD. Pocillatoris Regni. D. Succamerarii Podoliæ. D. Capitanei Bratianen. D. Capit. Præmislien. D. Capitan. Siradiensis. D. Cap. Brestensis. D. Capit. Braclavien. D Vexilliferi Raven. D. Vexilliferi Czerniechovien. D. Judicis Præmislien. D. Subdapiferi Braclavien. D. Lubomirski D. Pocillatoris Czerniechovien. D. Dapiferi Parnavien. Mea quoq; Cohors Tartarica ultra ducentos quinquaginta Equites complexa. Verùm aliæ prætetea Cohortes, *uti D. Castellani Belzensis D. Castell. Lubaczovien. D Succamerarii Belzen. Cæterorumq; plurium virorum Militarium & de Patriâ benè semper Meritorum*, tunc abdicatæ ac dimissæ, solo impellente odio Mei.

Numerus exauctoratarum Legionum & Cohortum

Misterium est. Ut fieret inilkrainam facilius posse tolli, his exauctoratis.

Regimine dignior alter judicatus præ Me Duce ac Jurato Directore, quique à primordiis inscensi per S. R. M. solii, integras Legiones sumptu Meo proprio lectas ad obsequia S.R.M. semper sistebam.

Nunquid merueram ut Legio Mea peditum exauctoratis plerisque imminuta deformaretur? Num merueram ut Consilia de tollendo Me formarentur, vel in progressu cum S.R.M. vel alibi? (nam eo nomine ab Amicis & Magni nominis viris præcustodiebar.) Num merueram denique ut insimularer tanti Criminis, *Concitati videlicet ad tumultus* peditatus, per Impostorem quempiam *Choiecki*, quem nec vidi unquam, nec novi in vitâ meâ? Ut idem *Choiecki* torqueretur ac equuleo tenderetur ad eum effectum, quatenus in Me culpam & fomitem turbarum devolveret? Habeo Literas D. Zaboklicki, quo Mediastino practicasse dicebam dictum *Choiecki*, & ad serendos tumultus induxisse. Eas hîc insero.

Subordinatur Impostor quidā Choiecki, ut Authorem turbati peditatus faceret D. Marschalcum.

Illustrissime Dne Marischalce Regni
Dne Mi & Benefactor.

C*Irca publicam in Comitiis Visnensibus nomine Celsitudinis Vestræ porrectam, adversus Malevolos eorumq; maligna commenta, Querelam ac effusum Dolorem, quandoquidem Impostores me quoq; ad hac Odia mendacissimè finxêre Cooperatorem, deducebam Innocentiam meam toti* Palatinatui; *eò majori cum luctu Meo, quò majorem Injuriam* Perversi *Calumniatores, homini pacatè intra domesticos lares defixo, & Menti talis Malitiæ (quæ in optimum consurgeret Dominum) nunquam conscia, inferre contendebant. Quemadmodum igitur in privatu* Palatinatus Comitiis *amovere à Me studui tam malitiosè affrictam Infamiam; ita* in Generalibus Comitiis in facie Reipub. *non habitâ ratione affectæ per id tempus valetudinis mea*, deducere paratus sum eandem Innocentiam meam, *quâ de causâ Filium Meum ad latus* Celsitudinis Vestræ *destino, quam primum ab illo certior redditus fuero, & à* Celsitudine Vestra *comparere in Comitiis jubebor, accelerabo sine mora, & vitam substantiamq; Meam* Honori Celsitudinis Vestræ *litabo, ac falsissima objecta eradicabo. Ne ulla de mea erga* Celsitud. Vestram *tam Insignem in Patriam Senatorem observantia supersit dubitatio. Mea interim humilia obsequia in gratiam* Celsitud. Vestræ *defero. Dat. Olszanica 4. Decembr. An. 1664.*

Literæ D. Zaboklicki qui ex parte D. Marschalci intervenisse ad hos tumultus, ferebatur, Innocentiā ejusdem testantes. Quam offert se in facie Reipub. probaturum.

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Dni & Benefactoris
Humilis Servus
Remigianus Zaboklicki Vellixifer Bidgostien. Mpr.

Præter

PRæter hanc Justificationem *Generosi D. Zabołlicki* extant Literæ à *D. Marschalco Comitiorum Visnensium* ad Me datæ, è quibus essentialia attexo.

Illustrissime Domine Marischalce Regni Major
Domine Noster & Frater.

Literæ Marischalci Comitiorũ Visnensiũ.

AD tam insperatam publicæ felicitatis in Patriâ revolutionem, magnum videmo accedere infortunium, quando nondum restinctâ bellorum flammâ; & ab extraneus periculis circumvallati, in graves & noxias ad intra incidimus diffidentias. Indoles sui per statu Regni præsenti. *Immutatus enim* S. R. M. Domini Nostri Clementissimi *(quemadmodum ex propositione publica colligimus) erga subditos affectus, & divulgata inter status Regni, Animi Regalis exasperatio, quemlibet optimum Civem intimè percellere debet: & vice versâ* Publicus Celsitudinis Vestræ ad nos Fratres suos *in his qua Nobis proposita sunt punctis*, recursus *in maximo omnium tenetur haberi respectu &c. Quod attinet* Generosum D. Zabołlicki *Fratrem Nostrum, quemadmodum semper optimè sonat reputatio illius* in Palatinatu nostro, *ita hac quoq; emergente occasione nihil illi imputari potest, quod adversetur ejus in Rempub. Integritati.* Dedit Justificationem sui in Consessu nostro. *Verùm & nos ipsi non possumus esse virtutis illius nisi æquissimi Arbitri. Propensa interim obsequia Nostra commendamus Fraternæ gratiæ Celsitudinis Vestræ. Visna 15 Octob. An. 1664.*

Famambonam & Integritatem D. Zabołlicki publico testimonio firmat.

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Addicti
Fratres & Servi.

Hieronymus Orzechovvski Judex Terræ
Sanocen. Comitiorum Visnen. Marischalcus.

Choiecki iste plures in tormentis nominat.

SEd cur idem *Choiecki* ad Causam non est statutus? Cur ante clam sublatus? Cur ii eodem Meum Mandato non sunt citati, qui in ejus Confessatis reperiebantur? (In quibus utique *& Illustrissimus Primas Regni & Illustrissimi Palatini Craco. & Sandomir.* leguntur) nisi quia metus suberat, ne factâ confrontatione fraus appareret: quanquam ne ille quidem improbus homo tormentorum vi adactus ea recognoscebat. Extant tam multi militares Viri, omnium quæ cum dicto *Choiecki* acta sunt, & quomodo idem, ut in Me culpam retorqueret, promissis minisque solicitatus fuerit, benè gnari, ac oculati, immò ferè palpabiles Testes.

Sublatus est ne Mendacia paterent.

His ergo & talibus præjactis gratiæ Regalis seminibus, censeat vel Hostis Meus, num sequi *Regiam Majestatem* debui illuc, ubi eunctorum odiis expositus fui, & ubi vitæ Meæ structæ parafæque Insidiæ aderant? Ipsamet *Serenissima Regina Me hisce excepit:* AD QVEM EFFECTUM CUM REGE DISCEDAS, QVANDO TIBI DIFFIDIT? Sed profectò palam fecit Deus quâ intentione aggressus vel ad Expeditionem hanc aggrediendam inductus sit *Serenissimus Rex.* Id enim totum factum, ut eo modo ab Exercitu excluderet, Jurisdictio de manibus meis tolleretur, & solidarâ D. Czarnecki potestate Respub. & Privatorum Fortunæ, ad nutum arbitriumque eorum disponerentur. Ita pleno crepatum ore nec jam tacitis minis, quòd totum monstravit effectus. Fundat adhuc iniquissimam Accusationem Os impudens super hoc puncto.

Regina præcavet ne Regem sequatur.

Milites ab hac nostra Expeditione alienos fecisti.

PAtens Mendacium. Nonne fuerunt in omnibus Expeditionibus numeroso stipata milite signa mea? nonne in omnibus occasionibus strenuè sese gesserunt? Alia verò tot bellis probata robora, ut ita loquar, Virorum, generosa Nobilitate & benè possessionata Patriamque amante constantia, cur exauctorârunt? Tartarieis verò Valachicisque signis exercitum fœdarunt? Cur obsequium illorum spretum qui non gravatè per unum & aliud

Quod ipsi fecerunt falsò imponunt.

ud trimestre seclusis stipendiis militare voluerunt? Apparet alio exercitu opus fuisse ad promovenda destinata Aulæ: Nam ille minùs cohærebat eum Intentionibus ejusdem, præsertim *Electioni* infensus, & (quod maximè tunc vertebatur crimini) *D. Marischalco* addictus. Redit ergo culpa in Authorem, & hujus alienationis frustra in Me devolvit tentata Invidia. Requirantur demùm illi ipsi, cur Regiam Majestatem ad bella euntem non sint secuti? Nisi quia nullum in Castris regimen, nulla Militi præmia videbant, Odia, Diras, Comminationes experti. Prosequitur ultra in eodem Mandato. Quare vetus miles exauctoratus.

Totum studium in id convertisti, ut sudores Nostros pro Repub. gestaque omnia convelleres, Populum omni in Nos Ministrosque Nostros & Reipub. odio imbueres, sinistrisque informationibus & traditionibus ac scriptis ad Seditionem provocares, & sic Rempub. non nisi tuâ operâ pacificandam promisceres & perturbares &c.

MErita mea & anteactæ vitæ Facinora apertè diluunt id totum, quod mihi mendaciter affingitur. Famulatus sum S.R. M. fideliter & sincerè. Conformavi Me ad vota & Intentiones ejusdem Majestatis quantum (salvâ Patriæ Integritate) valui. Dicat Rex ipse Serenissimus, si quando defui, requirente illo obsequia mea? si non præstiti ex voto Majestatis cuncta, tàm privatim quàm publicè, & in Palatinatuum Congressibus, in Comitiis Generalib⁹ non stabilivi Intentiones Majestatis Regiæ, cum salute Patriæ conjunctas, toties quoties eo nomine postulatus, & Regalis gratiæ benigno fulgore provocatus fui? Quod si aliquando non sum secutus sensum Regiæ Majestatis, aut diversam ab opinione Regiâ protuli sententiam, id pro Munere Meo Senatorio, & pro exigentiâ illius in quo me S.R.M. collocavit loci egi. Ita enim Respub. nostra constituta est, *ut non modò Nobismet ipsis mutuò, verum Dominantibus quoq; veritatem dicere teneamur, & si quod occurrat, quod à Jure & Patrio more saluteq; Reipub. discrepet, liberè reprehendere possimus, salvâ utiq; eorundem Dominantium reverentiâ, salvo obsequio.* Non potest igitur cadere in Me quasi convellere molitus sim *Sudores Regiæ Majestatis & Acta*, quæ omni colui observantiâ, quæque in bonum vergebant Reipub. Si quæ autem dictavit mihi Conscientia, & sentiendi Libertas, non fuisse è Re Commodoq; Patriæ, non debuit Mihi nec debet verti in Crimen, quod eis assensum meum denegârim. Florebat quondam Patria hæc sub felici Antecessorum Regiæ Majestatis sceptro, & ingentium accessione locupletata Provinciarum, Auspicio Serenissimorum Regum in nova surgebat Incrementa, & tamen si quis casu emanasset ab hisce Regibus quidquam Patriis Legibus contrarium, reclamantibus liberè Majoribus nostris non solebant indignari Principes; Acceptabant grato animo *Subditorum* sana monita, nec tracta in offensam eorum verba ulteriùs coquebant Mente; *In salute namq; & conservatione Patriæ salutem & conservationem Majestatis suæ sitam agnoscebant.* Ne longè petamus exempla. Respiciat S.R.M. ad tempora Serenissimorum olim Parentis & Fratris sui, quorum utrumque non perculêre unquam Liberæ subditorum voces & sensus, utpote fundamento Libertatis ac debitæ erga Dominantes Venerationis innixi. In reliquo producant aliquam literulam *Calumniatores*. Inferant Luci vel minimum documentum quo astruere possint Me Acta S. R. M. intervertere aut contra eadem Nobilitatem seu quemvis alium concitare voluisse.

Fidelis semper ergà Regem obsequia.

Libertas reclamandi non præjudicat Fidelitati ergà Principem.

Nunquam libertate dicendi offensi Reges

 Quod

Ministrorũ inaudita nomina.

Quod verò additũr quasi *Ministros Regia Majestatis & Reipub. odio expone-*
re curaverim, non possum satis intelligere, quinam hi Ministri aut unde hoc or-
tum nomen ? neque enim in Legibus aut Statutis leguntur, & novitia sunt,
quod profectò fieri non deberet : & *talia Ministeria exerceri in Patria vel*
audiri iniquum.. Sed enim sint illi ut lubet. Ego nunquam ad tam viles cu-
ras animum deflexi, ut conciliandis cuiquam odiis vacarem; Incurrunt ultrò
illimet ipsi, immò accersunt, odia, *dum Injurii Patria Juribus & Libertatibus*
(quæ sub illorum Ministerio palam conciduntac violantur) *laqueum tendant*.
Accersunt Odia, dum Rempub. malis consiliis implicant, occasiones turba-
rum ac motuum prensant vel serunt. Accersunt Odia, *dum promovendis Ex-*
terorum Pratensionibus, magis quam Reipub. intendunt, *Eorundem stipendiarii*

Ministri Stipendiarii Exterorum.

facti Advectitio auro tument, Rempub. & statum ejus venum exponunt, quod ad ocu-
lum patebit suo tempore. Quis verò singula edisserat horum *Ministrorum* acta
& attentata, qualiter *Proditores Patriæ dolos eidem nectunt? inita cum Reginali*
Majestate conspiratione, involvere primùm illam domesticis motibus, tum dein-
de piscari in turbido satagunt: ac denique in omnibus dictis, actis, congressi-
bus, nihil odiosius nauseant ac Jura Patriæ, Libertates illius, Equestris Ordinis
Prærogativas, quas contemptim non sine Ironia nominant. Itero ergo, non

Osores avitarum libertatum.

eguisse tales Ministros ut Odiis exponerentur, quæ ultrò facto agmine illos co-
mitantur. Utpote Osores Avitarum Libertatum, singulis actibus in pernici-
em Reipublicæ directis Diras publicas prometitos. Verùm subeat saltem in
mentem *Rendo Nicolao Prazmovvski Cancellario Regni*, quid tum pro parte illi-

R. Prazmovvski bis tuetur D. Marschalcus.

us egerim, cum *Palatinatus totius Ukraina* occasione editorum perperam *uni-*
versalium in Comitiis Generalibus contra illum fremerent? annon enim illa
Procella, via naufragio illius sedanda, per Meam Interventionem desævit?
Subeat in Mentem qualiter auxiliatricem Manum illi porrexerim, dum toto
adversus illum & D. Pac. Cancellarium Lithuaniæ stendente Exercitu.
Jus Regalis sigilli, ac Munus Cancellarii diutius cuiquam ultra triennium proro-
garetur, tota contentione decerni volente, unus obstiti, & fervorem obstinati
Militis instantiâ meâ composui. Profero refricandæ illi memoriæ literas,
eo in negotio ad me directas.

Illustrissime Dne Marischalce Regni
Domine & Patrone Noster.

Rescripsit eo nomine Colligati Exercitus qui instantia D. Marschalci placatum se ostendit.

EVidenter cuilibet patere potest, quod Reipub. Rationes, & Desideria
Exercitus, Celsitudo Vestra Dominus & Patronus Noster magnâ
curâ amplectitur, & omni desudat conatu, ut adhibitâ Pratensioni-
bus Exercitus medelâ, Respub. in Avitis corroboretur Libertatibus, cu-
piens operâ laboreq; suo Publicos prætextus & vota Militaria acquieta-
re. Unde dignatur Celsitudo Vestra Dnus & Patronus Noster, dum
conservare in toto Rempub. Exercitumq; illius satigat, ac profundâ consi-
deratione statum ac eventum futurorum penetrat, Instantiam suam pro
parte Dominorum Cancellariorum per literas persuasorias ad Nos
deferre; *ubi placito* Celsitudinis Vestræ Dni & Patroni Nostri, *non gra-*
vatè Exercitus cupit accommodari; postbabito hoc Puncto quod videtur
esse fundamentum Libertatum Militarium. Tametsi enim repulsam
Nobis faciunt, considerationes variorum Moliminum, quæ jam evidenter
patent, exerta non ad procurandam Tranquillitatem, sed ad quandam
olusionem (quandoquidem allaborant, ut dolosè per instrumenta ad eum
effectum formata, distrahant Exercitum, ac in pericula Honoris & Necis
conji-

conjiciant) *& ne ab hoc supersedeamus puncto suadent; ut tamen lucrari Nobis possimus gratiam* Celsitudinis Vestræ Dni & Patroni ac Ducis Nostri, *mittit illud in suspensum Exercitus tamdiu quo ad effectivam approbationem omnium per Dominos Commissarios Regni transactorum, & condictorum, totaliter ac integrè obtineat. Interim Mea promptissima obsequia Gratiæ Celsitudinis Vestræ Domini & Patroni commendo. Datum Kielciis 22. Aprilis Anno 1662.*

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Domini
& Patroni Humilis Servus

Joan. Samuel Suiderski Marischal. Exercituum
S.R. Majest. nomine eorundem.

JUdicet ergo quilibet, num ego *Ministros hos odio Militari propinârim.* Verùm quandoquidem *Regiam Majestatem* id afficit, quod talibus *Ministris* succenseat, ac indignetur Respub. ad manum horum est remedium, si *Regia Majestas* eosdem *Pseudo Ministros* in suo contineat officio; ita enim cessantibus turbis in Repub. cessabunt ea quæ Turbatoribus incumbunt odia, & redibunt aurea illa sæcula. Mansvescit Princeps ab innocentiâ Populi, & Populares motus reprimit innocentia Principis. Cessabunt odia si Ministri Aulæ à factionibus essent.

Verùm hic quoque evomuit patenter virus suum *Malignitas*, dum mihi objicit, *Rempub. nisi Tuâ operâ pacificandam permisceres & perturbares.* Et quando obsecro id Mihi arrogavi? *Cur tot literis S.R.M.ac Illustrissimorum Primatis Regni Sandomirien. ac VVoynicensis Castellanorum, Commissionis quoq; & illius Directoris Illustrissimi Dni Palatini Crac. ad hanc ipsam Nexus dissolvendi Materiam vocatus totius & requisitus fui?* Appatet quod qualecunque momentum ad componenda Negotia publica capacitatemque eorum adferre Me potuisse omnes ii viderint. Et hoc tamen nullo à Me jactabundi animi indicio unquam proditum: adsciscebam semper ultrò omnes quemadmodum ad participationem curarum & laboris ita ad communionem meritorum & laudis. Apertissima malicia impugnare aliquem ideo quia multum potest in Repub.

Dicat jam *Calumniator* num hoc censeat perturbare Rempub. quod Confidentiâ, Auctoritate, solertiâque & facilitate (sine invidiâ scribo) polleam ad facilitanda ea, quæ arduo tempore Rempub, innodare possent, prout monstravit effectus. *Scriptis & libellis famosis* (prout supra insinuavi) nunquam intendi, & à talibus uti vocationi Meæ inhonoris abhorrui, multoque Magis turbis & seditionibus manum non admovi. Aulæ debeatur hæc negotia; quæ etiam omnes in eo consumit dies, ut Famam Nomenque Meum proscindat, Rempub. Circæo velut poculo, consiliis suis fascinet & sub specie Recti in exitium vocet. Verùm cur hæc objecta mentaliter tantummodo & non realiter probas? Quare non producis in hoc impio Judicio aliquod documentum, Epistolam, Scriptum? Certare Vobiscum scriptis & famosis libellis indignum puto, Quorum tota vita criminosa & infamis est eritque in omnem posteritatis memoriam.

Nec alio fine in Magnum Ducatum Lithuaniæ Personam Monasticam &c. misisti.

QUidnam obsecro crimen hinc fingi & prætendi potest? Si tumultur concitari insimulet (prout id instigatoria scilicet vitrati & veritati inimica strepit lingva) considerandum à Quo, ad Quem, Quâve de causâ & Quisnam fuerit missus.

 Inprimis

Integritas R.P. Zmijovvski in Lithuaniam missi.

Inprimis missus est vir Religiosus, Ætate, Moribus, Professione maturus, & cui solidam transacti in Procerum Aulis ac familiaritate Anni, Integritatis peperêre gloriam, nec ulla sinistra adhæsit unquam nota, aut suspicio. Missus verò cum ea quam hîc insero Instructione.

Instructio cum qua missus.

CONdolendo Patriæ quemadmodum bonus tenetur Civis, & considerando labentem illius statum, quem Discordia maximè & suspiciones convellunt; cum non possit aliter ab imminenti præservari exitio, nisi per contrarium, unionem nempe animorum, idcircò *pro Observantiâ quæ unicuiq; ex Illustrissimis DD. debetur* (ad quos Literæ Credentiales destinantur) *& pro obligatione Muneris Senatorii*, confero cum *Illustrissimis Dominis* Consilia in causa tot malorum quæ perimunt Rempub.

Nunciat spargi ab Aula resuscitandam Electioné per Lithuaniam.

Spargitur hic passim, & nominatim *Aulæ sequaces* plenis id buccinant vocibus, quasi per *Magni Ducatus Lithuaniæ* studia *Electio* perfici deberet, & primùm dicitur *M. Ducatus Lithuaniæ* velle assistentiam præbere *Manifestationi* illi, quæ per *D. Cancellarium* ejusdem *Ducatus* in præteritis *Comitiis Generalibus* facta fuit, & ex hoc fundamento *Electionem* resuscitandam fore in proximis *Comitiis*, quæ idcirco *Vilnæ* celebranda consultò indicentur.

Item velle Regi Jus Hæreditatis adjudicare.

Pejus quiddam præterea spargitur, quasi *Ducatus Lithuaniæ* velit *Serenissimum Regem* pro *Hæreditario Dno* recognoscere, & permittere arbitrium resignandi ejusdem *Ducatus* uti *Hæreditarii* in Personam quæ allibuerit; quo exemplo etiam *Poloniæ Regnum* attrahi conatur, quod Legibus omninò est contrarium, namque obstat huic *Diploma Sigismundi Augusti*, in ultimâ unione Perpetuâ *in Generalibus Comitiis* conclusâ datum; in quo quemadmodum *ad Communionem Libertatum & Prærogativarum Regni*, *Magnus* Ducatus *Lithuaniæ admittitur*, ita simul ibidem *Jus Hæreditatis in eodem Ducatu Lithuaniæ extingvitur & aboletur*: Ubi insuper non modo ex *Personâ suâ* dictus *Rex* cessit *Hæreditate Lithuaniæ*, verùm *Liberos suos* (si quos dante Deo progigneret) *Exhæredes* totaliter eodem *Diplomate* declaravit. Sed ad extremum (si ita faciendum Magno Ducatui videretur) agendum id esset sine præjudicio Regni, ut quemadmodum *Ducatus Lithuaniæ* per Antecessores Lithuaniæ fraternè Regno fuit unitus, ita fraternè separetur, & Nostrâ Nobis relictâ Libertate, incolæ ejus Hæreditariam (quoniam ita placet) subeant subjectionem.

Quod est contra diploma Sigismundi Augusti.

Item Exercitum illic legi ad perficiendam vi Electionem.

Tertium, quodq; præmissa Malitia superat, vulgatur. Quasi Exercitus *Magni Ducatus Lithuaniæ*, quin etiam *Regni*, per *Aulam* promovendis ejusdem obligetur conatibus, ad assequendum per Arma, quod Pax negat, & ad eum finem, exauctoratæ sunt Cohortes Patriciorum Centurionum, soluti Militia Cives, quod Mihi quoque accidit, cujus Legiones Sacramento solutæ, & ita disarmatus intra Lares Domesticos hærere cogor. Huc etiam tendunt illæ *commentitiæ Chimæræ*, *quod Motum contra Regem seu Rokoß moliamur*; quod aliqui Incolarũ Regni sceptrum ambiant, ut Princeps eo perculsus metu, præcavendæ

Polonos insimulari de Rokoss & quosdam

securitati

securitati suæ Militem in Armis teneat,& ita Rempub. ab Arbitrio suo pendentem habeat. Quæ omnia non modo à veritate aliena sunt, sed Mentibus Civium ne per somnium unquam toto hoc tempore oborta; Quemadmodum & illud, *quod ambitus Piasti Mihi imputatur*, ejus sufficiens extat documentum illa *in Comitiis Generalibus* ex occasione D. *Czysz* cum D. *Pac* transactio qui publicè id inficiatus est.

de ambitu Regni ad alendas diffidentias.

Quæro ergo ab *Illustrissimis Dominis*, si horum quæ supra memini, quæve per Aulicos ipsos palam jactantur, *in Magno Ducatu Lithuaniæ* aliquid vel simile tentatur: si enim nihil horum imminet, obsecro quatenus ab *Illustrissimis* DD. habitâ notitiâ, leniam dolorem Meum, *quo deploro afflictas* Res *Patriæ*. Quodsi quidpiam emergeret tale, obsecro quatenus iidem *Illustrissimi* DD. *Mecum*, & cum aliis bonis civibus velint conferre, quo communis hæc Patria ab extremo vindicari possit interitu.

Petit super præmissis notitiam.

Ultimum est, Queror coram *Illustrissimis Dominis*, quodsi unquam visum est pressi Civis Exemplum, in Me nunc extat; edisseri nequit, quantùm traducor, quibus modis per quæsitas Malitiæ Artes exercear, ut odiis Exercitus & Civium propiner; non potest id latere *Illustrissimos Dominos*, quales jam sustinui insultus, nominatim Illustrissimus D. ProCancellarius cum esset Leopoli, spectavit & audiit, Meas nullâ præviâ culpâ (quod omnibus liquet) persequutiones, in eum meditatò scopum directas, ut spoliatus confidentiâ Civium odiis exagiter. Si quid ergo de Me sinistrum spargeretur, obsecro ne *Illustrissimi DD.* fidem adhibeant; *Per Dei gratiam Integrum Me Civem Acta Mea probant*, & rogo ne Pasquillis ac Diffamationibus proscindi premique Nomen Meum sinant; sed interventione suâ efficiant, quatenus S.R.M. tanq. *Dominus & Judex* (qui id negare Mihi nequit) jubeat Me in facie Reipub. audientibus *Generalibus Comitiis* causam dicere; confido quod non modo Innocentia Mea & Actorum quæ perperam traducuntur patescet, sed liquidò cunctis constabit, non alium conatibus Meis præfixum esse scopum, *præter Dominantis ac Patriæ commoda*. E diverso autem hi qui Me clancularis mordent susurris, si quid certi sciunt, in publico proferant ac deducant.

Queritur quod ubique dictis & pasquillis traducatur

Offert se in facie Reipub. Innocentiam deducturũ.

Quod si *Piastus* suspicionem movet, per Deum! ne inter *Principem* & *Status* gliscant inde suspiciones, quæ deinde Patriam in exitium trudant. Facile huic obviam iri potest, si *Illustrissimis* D.D. Medium hoc placebit; Ut nimirum illic apud *Dominos in particularibus Comitiis* condantur Articuli, deinceps *Generalium Comitiorum* scito firmandi, per quos tolli *Ambitus iste Lege* noviter sancitâ curetur; quod si ita faciendum placuerit, Illustrissimi DD. quanto cyùs innotescant, & Nos quoque in Palatinatibus Regni idem concludi curabimus.

Ambitum Regni Lege tollendum svadet.

Opinor omnia hæc sopiri poterunt, dum sociatis consiliis omnes, non jam per dissimulationem, sed palam *Regiæ Majestati* facti supplices orabimus, *ut Jura Privilegiaq; Nostra* in Integro conservare velit; *Hæc enim omnia, nostrâ sivimus crescere taciturnitate*. Ut ergo

Alios duos pacificandi Modos proponit.

motibus

motibus occurratur,& Paci Publicæ ac Privatæ prospici possit, omnes à S.R.M. inviolatam Jurium Integritatem precibus requiramus. Alter pacificationis subit modus, quatenus omnes Exorbitantiæ in *Commissione* patratæ, (de quibus inquirere esset Odiorum fomenta augere) Amore Boni publici, Perpetuâ Amnistiâ tumulentur, nec ab iis qui Exorbitarunt vindicta & pæna exigatur, sed potius Paci & securitati consulatur: Ego pro parte Meâ, tametsi incomparabilia subii, & hucusque perfero ab Inimicis vitæ, Honoris, substantiæque Meæ discrimina & nocumenta, paratus sum tamen intuitu Publicæ utilitatis, *Deo & Patriæ* injurias meas donare, dummodo hoc pacto salvari possit. Idem suadeo *Illustrissimi* Dni faciant, & cuncta quæ illic exercentur odia invicem sopiant, parcantque animadversionibus in Cives etiam nocentes, dummodo Tranquillitas interna possit reduci.

Ut precibus conservatio Jurium à Rege obtineatur.

Ut Amnistia gestorum omnium indicatur.

CUm hac ergo *Instructione* profectus est in *Lithuaniam Religiosus* suprapositus, cujus *Materia* utrum non pertineat ad *Legum Custodes*? & præter hæc utrum non eliciatur clarè ex *Manifestatione Cancellarii Lithuaniæ* quam subjicio, judicet totus Orbis.

NOS Ordines Magni Ducatus Lithuaniæ tàm spirituales quàm seculares Senatores, Officiales, Nuntiique Terrarum ad Comitia Regni Moderna pro die tertia Maji An. 1661 præmissis Literis universalibus à S.R. Majestate emanatis Varsaviam congregati; Universis & singulis tàm præsenti ævo existentibus, quàm sequuturo extituris, notum testatumque facimus Nostrâ hac quam proprio simul, & aliorum Fratrum domi ad præsens remanentium Nomine, curam S.R. Majestate & totâ Repub. interponimus Manifestatione. Quia cum per Annos Duodecim Moderno Serenissimo Regnatos, à variis Reipub. pro tempore hostibus, Cosacis, Tartaris, Moschis, Svecis, Hungaris, Brandeburgicis, nullo peccato nostro impetiti fuissemus & per Nexum Colligati Exercitus, multas ærumnas Molestiasque Nobis illatas, tum Incommoda belli, & quod caput est gravissima Exilia, solo conservandæ Serenissimo Regi Fidei, & Regno Poloniæ Amoris permoti intuitu, ut nempe idem Regnum, ultimis admotum casibus primùm emergere posset, tulissem9. Sperabamus tandem pacificatis Ditionibus Regni, & Sveticis, Hungaricis, Brandeburgicisq; Motibus compositis, & in eam veneramus opinionē, fore omninò ut Respub. ad eliberationem totius Gentis Nostræ tum & Magni Ducatus Lithuaniæ, quàm Terrarum & Regionum Altæ Russiæ, de manibus jugoque hostili converteretur, prout etiam Serenissimus Rex Dnus Noster Clementissimus, varia ad eum Pacificationis perficiendæ finem adinveniendo media, illud inter cætera opportunum proposuerat, ut Respublica stante Vitâ Serenissimi designaret Successorem, qui post sera Fata *Regiæ Majestatis*, ab Ambientibus & illorum Machinationibus, utriusque Gentis Provincias liberaret: Maximè eâ motus consideratione quod tali Decreto per Rempublicam in Designationem Successoris condito, reprimeretur *Imperatoris*

Manifestatio Ordinū Lithuaniæ contra Ordines Regni.

Queruntur se non juvari ab Incolis Regni

Electionē successoris ut tulissimū auxilii sui medium impugnari

Moschovi-

Moschovitici potentia, ad subigendum *Magnum Lithuaniæ Ducatum* intenta, & Ambitio illius in aliquot Commissionibus, ad sceptra *Regni Nostri* (& quidem intercedente jam ad id Reipublicæ in duobus præteritis Comitiis per Legem consensu) properans, spe libertatis eidem inter cæteras conditiones ad concurrendum in futura Electione injectâ sisteretur. Verùm quoniam in eam designationem successoris, nonnulli ex *Illustrissimis Dominis Fratribus Regni Incolis* tàm *Senatorii Ordinis* quàm *Equites & Nuntii* terrarum consentire, Fraternéq; à Statibus *Magni Ducatus Lithuaniæ* illatis precibus, ut hunc solum salutis ejusdem *Ducatus* amplecterentur modum, induci ac acquiescere noluerunt, ac incertitudini belli stantibus tot defectibus *Magni Ducatus Lithuaniæ* ob sublatos Exercitus, & Ærarii publici Inopiam non providerunt: quandoquidem profectionē *Regiæ Majestatis* cum Exercitu ad *Magnum Ducatum Lithuaniæ* annò præterito, & præsenti ordinatā per quam (uti semper *Serenissimi Reges* facere solebant) pax cum *Moscho* redintegrari poterat, post binā ejusdem *Majestatis* in facie *Reipub.* declarationem impediunt; quandoquidem submissis Exercitibus *Regni* (quos Confœderatione irretitos jactant) diversionem Armorum hostilium, à limitibus *Ukrainæ* facere recusant, ac eo ipso irruptioni Tartarorum in Provincias hostiles aditum præcludunt; quandoquidem solutionem stipendiorum Colligato Militi, usque in Octobrem (ubi jam bellicus cessat labor, & hyberna proximè Exercitui distribuenda imminent) rejiciunt, & per hæc omnia impetui hostium contra *Magnum Ducatum Lithuaniæ* per *Cosacos* ac *Moschos* erupturo majorem portam pandunt; quandoquidem demùm iisdem conditionibus quibus in Anno 1659. & 1660. cum *Moscho* tractaveramus nunc in omnem casum pacisci (multis licet precibus Nostris ac interventione *Sacræ Regiæ Majestatis* pro parte Nostrâ ad Ordines Regni factâ, requisiti, cum tamen illi subsidia à Nobis tàm *Turcico* quàm *Svetico* bello incumbente receperint) & opitulari Nobis renuerunt.

Exercitum in Ukrainā ad divertendum bellum nō mitti. Colligatis stipendia tarde numerari.

Idcirco quamvis jure meritò, Consilia horum Comitiorum, ut securitati Nostræ minus servientia, pari libertate abrumpere, & Ordines Regni simili periculo infallibilis interitus, atque ipso eidem subjacemus, exponere possemus; Majorem tamen Charitatem, quàm ipsi experiamur Statibus Regni exhibere ac contestari volentes, ad hæc Extrema descendere nolumus; solennem nihilominus & ad seram posteritatem duraturam, coram *Sacra Regia Majestate ac tota Repub.* in vim initæ *mutuæ* inter Nos *Confœderationis* in præsentibus *Comitiis* interponimus *Manifestationem*; Protestando coram *Deo qui primus est Sanctæ Unionis Auctor & Stator Nostri Nominis*; Coram *Serenissimo* præterea *Rege Domino Nostro Clementissimo Totaq; Repub.* Quia habito primùm respectu ad *Juratam Serenissimo Regi Domino Nostro Clementissimo Fidelitatem*, Conservationi deinde Status Nostri studere volumus. Et quoniam *Ordines Regni*

Unde facta protestatione minantur se omni mode sibi consulturos.

I hisce

hisce in *Comitiis* in incerto Nos reliquerunt, quando propositum à *S.R. Majest.* per designationem Successoris, subsidii Nostri Medium amplecti, & aliis suprascpecificatis modis, suffragari Nobis nolunt, quin immò eâ tarditate suâ, locum & occasionem Cosacis jungendarum cum *Moscho* virium pandunt, quo facto proximos Nos interitui ac Ruinæ fore providemus, cum hostis initâ cum *Svecis* concordiâ, omnem potentiam suam, tàm à partibus *Livoniæ* quàm à ripis *Borysthenis* in *Magnum Ducatum Lithuaniæ* conversurus sit: Videntes igitur infallibile cervicibus Nostris impendens fatum, declaramus & protestamur, quòd si fortè, nec Modus nec Ratio resistendi Potentiæ hostili Nobis suppetierit, omnes alios quos Tempus & Ratio tunc suggesserit, servandi Nostri Modos tentare & quærere debebimus. Quod si effectus talium Modorum subsequeretur, id totum specialiter præsenti *Comitiorum* Dissensioni, Ordinum Regni erga Nos imminutæ Dilectioni, & Extremæ *Magni Ducatus Lithuaniæ* necessitati adscribi debere pronuntiamus, & omnes hujus Causæ Æquos Judices, præsenti seqvuturoque ævo extituros imploramus. Hanc verò Manifestationem Nostram in facie Totius Reipub. factam ut omnibus Reipub. Ordinibus innotescat ad Acta obtulimus.

Et si quid acciderit culpam in Regni Incolas retorqueri volunt.

Subscriptio

Georgius Bialozor Episcopus Smolensciæ Severiæ Czerniechoviæ. Michael Casimirus Dux Radivilus Castel. VVilnen. Stephanus Pac Palatinus Trocen. Christophorus VVolodkovicz Palatinus Novogrodensis. Stephanus Kedzierski Castell. Misnen. Christophorus Pac Cancel. M.D.L. Georgius Chlebovvicz Capit. Samog. Adamus Matthias Sakovic Palat. Smolen. Christophorus Zavisza Nuntius Terrestris. Alexander Hanczovic. Joannes Korszak Castel. Plocen. Theodorus Zacki Marischalcus Curiæ M.D.L. Al. Hylarius Polubinski Notarius Campestris M.D.L. Joannes Stanislaus Gieysztort, Uladislaus Chalecki, Petrus Galinski. Cypr. Pal. Brzostovvski Referendarius M.D.L. Joannes Naruszevic. Joannes Vice Judex Plocensis. Hieronymus Crispianus Kierszteyszten, Culinæ præfectus M.D.L. Casimirus Bialozor Marischalcus Upistensis. Joannes Carolus Dolski. Samuel Abramovic Capitaneus Starodubensis. Joannes Chrapovicki Succamerarius Smolenscensis. Victorinus Constantinus Mleczko Judex Samogitiæ. Christophorus Succamerarius Novogroden. Joannes Kiersnovvski, Nicolaus Niemierovvicz, Vladislaus Trizna Iudex terræ Volin. Hieronymus Piasecki Succamerarius Slonin. Hieronymus Komar Vice Iudex Oszn. Laurentius Odlanicki, Leo Ioannes Pogorski Marschalcus & Nuntius Rzeczensis. Ioannes Franciscus Dizniak Notarius Decret. M.D.L. Stanislaus Judicki, Joannes Vladislaus Smogorlevvski Vices Judex Volck.

Hæc Manifestatio ad·

RESTAT explicandum quonam Religiosus ille fuit missus? *Ad Illustrissimos nempe DD. Palatinum Vilnensem, Procancellarium Magni Ducatus Lithuaniæ Capita-*

Capitaneum Samogitiæ; Verbo missus à Senatore & Officiali ad Senatores & Officiales. Quid enim? num putabatur *Moscuam* ablegatus, super alienando illis *Smolensco* ac *Ducatu Severiæ*? Vel ad *Portam Othomanicam* super *Electione*? Ad *Tartaros* contra Exercitum Equestremque Ordinem concitandos? Ad *Cosacos* cum Jure ad Electionem sibi adjudicato? Ergone Heroes illi ad tumultus opportuni Aulæ judicati? *Qui in Magno Ducatu Lithuania aquè ac Ego in Regno, incorruptam fidem inter tot perfidia Exempla retinuêre*. Ergo Tumultus censendus quod Senator cum Senatore conferat, & de Actis publicis inquirat? Tumultus censendus quod Cives cupiant Malis imminentibus per Civilia Media obviam ire, Tranquillitatem publicam privatæ ultionis desiderio præferre, Injurias proprias Integritati Patriæ sacrificare, unione animorum inter Cives redintegratâ, Rempub. componere?

Verùm cur quæso *hunc exploratæ virtutis seniculum Religiosum* in Comitiis Generalibus ad Causam non stitistis? Cur confessata illius ante falsificata detractis Essentialibus Instructionis punctis, & sinistra interpretatione detorta (quod vobis deducturum se obligat) admisistis? En igitur totum Perduellionis Crimen, quod tanto Motu, & tantâ Jurium Libertatumque jacturâ vindicari in Me placuit.

didit calcar ut mitteret ad Proceres Lithuaniæ [illegible] [illegible] Justificatum hæc Legatio & [illegible] tur Legationes Aulæ.

Religiosi hujus testimonium de sua Legatione falsificatum.

Supra Civilem Æqualitatem voluisse Me attolli Nemo præter Aulam dicit. Quæ prout semper livore tabescebat, dum Me Gratiâ, Amoribus, Confidentiâque Civium, ac insuper his quas Divinum Numen contulit affluere cerneret fortunis, ita exerendo contra Me ea, quæ vix Infernus egurgitare valeret, soliti livoris oblivisci nequiit, quin eundem in *Mandato* ebulliret. Verùm enimverò Cuinam fortunis hisce gravis extiti? Quis Nobilium litem Mihi intendit, aut supplices libellos querulando contra Me Regiæ Majestati porrexit? Quemnam in vicinia pressi, aut qualicunque contemptu affeci? Ipsamet *Invidia* deducere hoc Mihi non poterit nec unquam deducet, quasi aliter vixerim, quam *Civis cum Civibus & in Æquali Repub. Æqualis*. Habemus *Leges, Judicia, Tribunalia*, percurrantur, num eo nomine aliquando inculpatus fuerim? Num à quopiam dies Mihi de præmissis dicta vel actio mota? Procul dubio enim, si quid contrarium Æqualitati in Me reperiretur, latere id prædicta *subsellia* neutiquam posset, in quibus præsident *Judices velut Æquales Distributores, ut quod inæquale est reducant ad æqualitatem*.

Æqualitatis semper Custos [illegible] nemini gravis.

Appellat sucem omnium subselliorum.

Convocationes Domi Meæ solitum Me habere qui dicit, gravem Mihi injuriam infligit: Hæccine est Convocatio, quando *Vicini, Fratres, Amici*, benè gnari Me non Aulico more Amicitiam colere, & Domum Meam cuilibet Amicorum Hospitalem patere, concurrunt Meque visitant? cum quibus si quando contingit, ad conferendum de Publicis rebus delabi (silere enim corrupta per Aulam Reipub. vetat facies) Ergo jam censenda est consiliorum forma? Et verò, dato quod Consilia eorum exquirerem, nunquid hoc Crimen nominandum est in *Libera Repub.*? Annè Tyberina ad nos revoluta tempora, ut non liceat scribere, non liceat nuntios mittere, non liceat ne quidem inter privatos parietes mussitare? Est profectò quod Liberæ Mentes querantur & gemant, ad tam ferrea Nos devenisse sæcula! Ut sub Regimine *Regiarum Majestatum* ademptam Nobis sentiamus eam Conferentiarum Libertatem, qua Frater in Fratris, Senator in Senatoris gremium dolores suos transferr. statim enim atque alter alterum convenit, congressus ille mutuus trahitur in suspicionem. Quod tenentibus sceptra *Antecessoribus Regiæ Majestatis* Majores Nostri experti non sunt, quin immò violentias has executere sciverunt ac ausi sunt.

Domus illius quod omnibus Bonis pateat vertitur in Crimen.

O infausta tempora, ubi nec loqui licet!

Literas universales de proximo à Tartaris periculo significantes, quia extradi jussi, *hoc quoque tractum est in Crimen & Convictionem*. Feci id exigente Obligatione Meâ tanquam *Dux Exercituum*, feci tanquam *Primus & Principalis Regni Officialis*, feci tanquam *Minoris Poloniæ Generalis*, sequutus morem

Præmonet de Tartaris pro munere suo.

ab omnibus Exercituum Ducibus practicatum, dum præmonui Incolas Patriæ, quatenus tempestivè suæ Pignorumque securitati prospicerent. Sed nunquid *Universales* hæ *litera* ad *Acta Castrensia Cracoviensia* non sunt obiatæ? illic eas quilibet excerpat ac legat, quarum essentialia sunt hæc.

Transsum tum ejusdē universal:s

Cum præmonear ab *Illustrissimo & Excellentissimo Principe Domino Francisco VVeseleni Palatino Hungariæ*, quod *Tartari* in *Moravia* igni ferroque sæviant ac captam prædam per *Poloniam* abducere velint, quamvis huic (verba sunt universalis formalia) ultimatè fidem non adhibeam, ex munere tamen Meo præcustodio quatenus Incolæ Regni in Confiniis degentes prospiciant sibi Charisque Pignotibus suis & ad loca securiora secedant &c.

Requiritur super hoc à Palatino Crac. nomine Regio.

Verùm super hæc, ne Munus Officii Mei dubium te distineat, profero literas Illustrissimi Dni Palatini Cracoviensis Collegæ Mei hac in Materia ad Me scriptas.

Illustrisime Dne Marischalce Regni Major
Domine & Frater.

Literæ D. Palatini Crac.

PRo *communicatis* ab Illustr. Dno Patrono Hungariæ *literis gratias* Celsitudini Vestræ *habeo. Didici ex illis* Turcam *liberrimè grassari per ditiones* Invictissimi Christianorum Imperatoris, *quando nemo ad dandam repulsam accingitur, immò unusquisq; deditione salvari destinavit. Quod attinet securitatem Finium Regni, hac stipendiario Milite (qui sine Comitiis legi nequit) firmari non potest*; Celsitudinis ergo Vestræ curæ & dexteritati S.R.M. id committit, *tametsi etiam Palatinatuum Incola ad ostentationem Armorum exciri & in procinctu haberi deberent, dummodo pericula pulsari à finibus Regni possent; nam cum belli Munia jam cessent, per necessitatem indulgere Exercitibus quietem cogetur* Turca, *& interim quoq; S.R.M. (prout intendit) feliciter dante DEO regredietur, & per se ipsam consulere Integritati Provinciarum suarum dignabitur.* Nunc autem Celsitudo Vestra ut pro dexteritate suâ velit Communi invigilare Bono obsecro; *Addictissima interim obsequia Mea* Celsitudini Vestræ *defero. In Castris ad RySzezevvo die 9. Novembr. Anno 1663.*

Illustr. Celsitud. Vestræ Addictissimus Frater
& promptus Servus
Stanislaus Potocki Pal. Crac. Gen. Exer. Dux.

QUod igitur non modo ex vi Muneris Mei, ac præfatarum literarum intuitu, verùm etiam ex ratione ingruentis proximè periculi præstiti, non Me idcircò deliquisse reor; immò factum id Meum, etiam ipsi Malignitati probari Conscientiâ dictante credo, quæ tamen ex cæcâ rabie, optima quæque idcircò arrodit & in Crimen trahit, quia Mea; unde hoc quoque ad cætera figmenta Mandato inservit.

Quod Mitra Ducalis in sigillo posita, sit Crimen. Non potest, qui descendens è sanguine Ducum, mitrâ uti.

Trahitur illud quoque in Crimen, quod *Mitram Ducalem* in sigillo circumferam, & sic supra æquitatem attollar. Fateor quod utar Prærogativâ Generis Mei, utpote *Hæres Fortunarum & Honorum per Maternam Propaginem Ducum in Ostrog* existens, attamen sine cujusquam invidâ; quo etiam utuntur jure *Fratres* Mei, & alii *Duces* sine offensâ, ex sanguine antiquorum Ducum progeniti. Sed obsecro num aliquando titulum Ducis sumo? num in officio *Castrensi*, vel *Marschalci* functione tale sigillum adhibeo? aut eo pacto vel minimùm Æqualitati præjudico? Ergone Patriæ Æqualitati officio sigillo, qui eandem propugno facto, & pro posse Meo tuere non patior? Ergo gravis Reipub. putatur *Mitra Mea* impressa Ceræ, & non magis proficua eidem resolutio Mea attenditur, quâ *Vocem Liberam* in Comitiis Electionis opprimi nō permisi?

Et

Et quem rogo privatim hæc *Mitra* preſſit, vel afflixit? Cujus honori derogavit, aut quidnam ſibi contra vel ſupra Leges indulſit? Sanè hæc ſunt advectitiæ ſubtilitatis, ad conciliandam Mihi Invidiam commenta: Nam ſi Antiqua *Mitra Mea* Crimen eſt? Cur ejusdem non culpantur Criminis, *recens Polonia invecta*, antea nunquam per ſtemmata viſæ Multorum *Coronæ*? Cur non culpantur *Noxia Miniſtrorum Status* cum ſua pariter *Alamoda* introducta *Nomina*? Talia Nomina quæ palam Statum illudunt, quæ in præjudicium ſupremæ Comitiorum Poteſtatis, Jura Publica privatim uſurpant, quæ Libertatem ac Æqualitatem à Nuntiorum Aulâ exterminant, quæ demùm Penſionibus externorum Principum aluntur & conſervantur. Hi profectò ſunt contra *Leges*, contra *Libertatem* ac *Æqualitatem* uſurpati *Honores*, non li quos innocui per tot ſecula tantorum meritorum Cives, *Majores Mei* pacificè poſſederunt, & Mihi cum ſanguinis ac Fortunarum Hæreditate transmiſerunt. Verùm non id tantùm credo oculos Adverſariorum pungit, quod Inſignia veterum Ducum Gentilitiis in Ceris præferam, pungunt magis relictæ à Majoribus Meis, vel Deo ſuffragante partæ Fortunarum acceſſiones, ad quarum ruinam *Tartaricos* àcinaces arceſſebaris: *Hac* namque Veſtra ſumma eſt *Domini Titulati Miniſtri*, & *ſtatiſta Politica*, Neminem in regno pati Potentem; Tollere quidquid conatibus obſtaret; Omnia illa quæ vel umbrâ officere poſſent *Veſtræ Illuſtritati* & *Magnificentiæ*, & jam vix non *Omnipotentiæ*, in præceps ac interitum detrudere: & *Biviratu* ſolo, excluſis cæteris Magiſtratibus (qui jam vobis nuda ſunt vocabula) *Regnum & Magnum Ducatum Lithuaniæ* circumagere, atque in Deſpoticum regimen trahere. Cæterùm quod ſi *Mitra* hujus uſus, bonis in Republica Civibus non probetur, paratus ſum etiam hac abſtinere, proteſtando coram Deo, quod omnes Honores, Fortunas & vitam ipſam commodis Patriæ poſthabeam.

Magis hi qui noviter externis utuntur Coronis.

Aula nemi-nem liben-ter videt potentem ut omnia poſſit.

Infamium receptaculum eſſe Domum Aulamque Meam iniquiſſimè obtrectante Malitiâ traducor; nec enim de quopiam Mihi conſtat: Viros Militares, & de Repub. in ſago Togaque benè meritos foveo, ita enim Conſvetudo fert Mei Generis, & Patris exemplum; Si quis aliquâ Juris lunodatus pænâ, prenſat Aulæ Meæ limina, ſtatim præmoneo, ut ſe his laqueis evolvat, in quos per Jura aut Judicia incidit. De cætero Amicitiam Dignorum hominum & Militarium ſemper penſi habui; neque id antehac ægrè tulerunt *Sereniſſimi Reges Parens ac Fratres* præſentis S. R. Majeſtatis: namque omnium horum comitatu cincti confluebant ad obſequia *Majeſtatis* & *Reipub. Majores Mei*. Inde quondam paratum *Regionibus Ukrainæ* præſidium aderat, quia ſine publico Milite ſtipendiario, ſine impenſis Regni, paries ille à Privatorum Familiis, contra omnes hoſtium inſultus tegebatur. Quò ergo magis factum hoc Meum in Crimen attollitur, eo certius quilibet ſanæ Mentis agnoſcere poteſt, quàm juſtè judicarint illi, qui contra Me tam iniquum tulêre Decretum.

Viros dignos fovere quodnã Crimen?

Præſertim in ſubſidiũ Patriæ.

Clientelas quod præſtem Militibus, olim Confœderatione innexis, fateor, ſed talibus, qui bonum S. R. M. & Reipub. prudenti conſilio promovetunt; Talibus qui niſi in illâ Multudine, interventu ſuo fervorem armatum temperâſſent, & ad bonum finem flexiſſent, actum erat de Patria. Peto abs te, nomina illos, quinam ſint? & oſtende utrum aliquem ſolutâ Confœderatione ad aulam Meam evocaverim, qui non ante etiam in numero Domeſticorum Meorum Amicorumve cenſeretur? Quod ſi Milites ſub ſignis Meis merentes tangis & intelligis, peto undenam jubeas legi Militem, ſi non ab Exercitu? fortaſſe ex Cancellaria vel *Leopolienſis Collegii Schola*? Et cæteræ Cohortes undenam lectæ, aut ex quo Milite conflatæ ſunt, nonne ex eo qui totus Nexum antea ſequutus? Quam turpe eſt Doctori quem culpa redarguit, ipſum? Mihi qui Egregios, Bonumque Reipub. ſemper intendentes, Aulæ Meæ aggrego objicitur pro Crimine, & Ipſimet maximos Proditores viâ & Jure infames fovent; Hiſce patet aditus in Intima *Regiarum Majeſtatum Conclavia*; Hiſce

Senioris partis Colligati verſentur in Aula Dn Michaleł.

Proditores foventur à Regia Aula.

 ſemper

Contra Caput 19. Decreton. Idque ad ruinandũ D. Marschalcum.

ſemper fas eſt & licet venenata ad Aures Dominantium inſtillare Conſilia. Ecce enim *Stanislaus Jordan* (dolendum quod tam Inclytam Domum abortivus fœdaverit) *Samuel Suiderski, Oszczepalski, Bartnicki*, idcircò quia venales muneribus addixêre Animas & lingvas, quia ad prohibenda falſa contra Me Teſtimonia non gravatim trahi potuêre, conſultò ad Aulam, ad eum vocati effectum, quantis favoribus affluunt? quàm opimis poſſeſſionibus, pecuniis, & Regali gratiâ ſuſtentantur? Cum tamẽ aliter jura diſponant, ſi Amniſtia indulsa reſcindi deberet; Itero ergo & dico, non id afficere Aulam, quod Milites Confœderationem ſeqvutos foveam, ſed quod bovos, & Muneribus impervios, qui corruptionibus ad venundandam Patriam, promovendamque Electionem induci paſſi non ſunt, ad latus teneam.

Proſequitur deinceps Mandatum:

Quibus tot tantiſque Machinationibus Tuis, quoniam Æqualitatem Juris exuiſti, Jura, Leges & Ordines Libertatum Reipub. quas Nos à Majoribus Noſtris auctas Sacroſanctè non magis ex vi juramenti Noſtri quàm ex Amore Patriæ & Veneratione Majorum Noſtrorum ad vitam Noſtram tuemur, conſervamus, & manu tenemus, colluſiſti. Confœderationi Legibus Regni damnatæ, ipſo facto infami, complicitatem & Patrocinium præbuiſti, per eam bona Eccleſiæ Noſtraque & Reipublicæ inſeſſa, exinanita, & devaſtata reddidiſti, Bella cum hoſtibus noſtris enervaſti & præpediſti, ac in huc usque protraxiſti, & Rempub. exinde ingentibus ac inæſtimabilibus damnis affeciſti. Pacem & Tranquillitatem publicam tuo ambitu turbaſti, diffidentiis, Suſpicionibus, odiis repleviſti, & per id Unius tui arbitrio obnoxiam facere ſtuduiſti &c.

In omni processu judicii impii nec umbra veritatis.

Virtus fortunâ paucorum Civium.

IN Compẽdium hîc quemadmodum redacta Mendacia, ita virus exæſtuantis Malitiæ, apertè deducunt totius impii hujus Judicii empta, diſpenſata & impudenter fabricata omnia Acta. Accipiat in trutinam quiſque Omnes hujus impii Judicii Actus, & videat in quonam puncto vel umbra ſit veritatis? Unicum documentum? minima probatio? Juſta & fortis ad extremùm præſumptio? Ejusmodi Objecta ſuſpicax Tyrannis in Viros Fortunâ & Honoribus eminentes, ſemper excogitare poteſt, probare nunquam. Concedit Deus alicui fortunas, Honorum ſplendores, Amicorum copiam; concurrit Invidia & in odium Avitæ Æqualitatis eundem exponit. Ac ſi novum eſſet in Regno Poloniæ, amplas habere Poſſeſſiones; numeroſas alere Aſſiſtentias, opiperatas exponere menſas? Humanitatem Liberalitatemque, fortunâ Mi-

noribus

noribus Civibus, ut emergat Virtus illorum, & suo tempore Patriæ prosint, in Generalibus Particularibusve Comitiis exhibere? Ac si novum esset Equitem Polonum aliquot millia Militum propriis stipendiis in Castris fovere? Nec unquam fuit crimen, aut Æqualitatis contemptus ejusmodi Actus. Amabat semper Respublica tales Filios, tanquam *Legum & Libertatum suarum Fulcra in Toga Liberâ voce, in Sago, Promptitudine, Generositate & Potentiâ.* Atque ideò indignam puto hanc farraginem Calumniarum ullâ responsione. Cujus objectioni sigillatim responsum est, & subsequentibus ostendetur, *Quot verba tot Mendacia & aniles fabulas.*

Tranquillitatem publicam tuo ambitu turbasti &c.

NON satis sibi visa evomnisse veneni insatiabilis Malitia, dum tot Mendaciis & Calumniis *Mandatum* infersit; Placuit additamentum adjungere, criminando *Quod ambitu Regni æstuem*, & ab *Invictissimo Cæsare*, *Electoreque Brandeburgico* oblata ad eum effectum subsidia acceptaverim, quin etiam *Milites Colligatos* aliquando *osculis dignatus sim*, dum dicerent *Me Regem futuram* & responderim: *Sors ista è Vestris pendet manibus, Fratres mei dilecti.* Tam informem Calumniam & insanam Objectionem vix est quod responsione dignam censeam. Namque *Comitia Anni* 1661. apertè monstravêre, quænam Officina tam patens procuderit Mendacium. Utique meminit tota Respub. quando *D. Czysz. Succamerarii Vilnensis Filius* requirebat palam *Dominum Pac Cancellarium Regni Magni Ducatus Lithuaniæ*, quatenus id quod in Comitiis Palatinatuum seminaverat de Ambitu Regni, in facie Reipublicæ proferret & denuntiaret? Requisiêre idem certatim Nuntii Palatinatuum magno fervore, quatenus tam nocivum Ambitum detegeret, & pro munere suo Rempublicam præcustodiret. *Quam turpiter tunc idem D. Pac Cancellarius Lithuaniæ defecerit, & publicè revocaverit*, negans se quidquam eo nomine dixisse, palam liquet omnibus. Audiebantur tunc Bonorum & Generosorum Civium voces gratulantium Regiæ Majestati & Reipublicæ, quod in eadem triumphalis virtus emineat, Fraus & dolus propriis sese laqueis cum probro irretiat. D. Pac Objectionem de Ambitu publicè retractat.

Verùm non modicam hinc capio lætitiam, quod Criminis hujus mecum Complicitate tam Magnum Orbis Christiani Monarcham (qui non multò ante sub Suetiæ & Transylvaniæ Incursionis tempus, quanti cordi habeat salutem hujus Patriæ palam fecit) *Invictissimum Cæsarem*, pariterque *Serenissimum Brandeburgicum Electorem* eadem accusatio involvit. Respondeant primùm hi tam Inclyti & tantorum de Christianitate *Actorum Principes, Pietate & Justitia clarissimi*, num *Ambitum* subditi, de subvertendo *Throno Domini sui* cogitantis promoverint aut fomentârint? tum deinde respondebunt, utrum Ego oblata taliter subsidia acceptaverim. Suffundere rubore deprehensa in *patenti Mendacio* perversa *Malitia*: en habeo vicaria Numinum Justitiæ solia quæ Principes illi Dei favore sine noxâ & Crimine occupant. Non inficior, nam ingenuitate & amore veri ducor, tunc cum illa Electionis materies Fatalis Orbi ferveret in animis, & colloquiis promiscuis, evenisse ut *D. Overberg Serenissimi Brandeburgici Electoris Legatus* delaberetur ad eum discursum, quo ostendere nitebatur, quantum emolumenti Reipub. accresceret, si quempiam nativum Regem assumeret, & seu Affectu abreptus, seu introspiciendo sensus Meos, Meipsum nominaret; Verùm quantùm id Me affecerit, & quid ad ea replicatim, licet non seriò tractanti, fatebitur ipsemet pro eâ quâ pollet existimatione. Sed nunquid discursum hunc silentio pressi? quem statim D. Referendario Regni aperui eo intuitu, ut S. R. Majestati innotesceret; prout eundem ipsemet postea in privatâ Audientiâ eidem S. R. M. edisseruit. Quid igitur hîc deliqui?

Sequitur

Sequitur illa offensa quæ mihi non bilem sed risum movit, quod scilicet Colligatis Oscula impertierim, Me Regno destinantibus, dicendo *Potestas hac in vestrâ haret manibus mei optimi Fratres.* Quæro ex Te mi Delator, ubinam locorum id factum? num in publico totius Exercitus militari Circulo; num in privato Legionis cujuspiam congressu? num in Convivio, & quidem, cui omnes vel plures aut unus aliquis Miles interfuit? Si alleges factum in publico totius Exercitus, aut certæ Legionis Consilio, appello ad Exercitum & Legiones, patebit rei eventus, siquidem publicè gesta est. Si Convivia memores, per Deum vide quid afferas; Ubi enim vidisti Colligatos Conviviis, quæ semper declinabant, indulgentes? nisi dum Nuntii ad Comitia, aut Commissarii ad Commissionem fuére destinati. Deputatos exeepl semel convivio omnes, unà cum D. Substiruto seu Præsidente; Rogo ergo nomina hunc Regnorum Distriburorem; nam etiam nunc mille osculis eundem fatigarem, ne per scelus, per eversionem Libertatum & Justitiæ, per ruinam & interitum status, per dedecus Publicum pateretur quempiam in illud solium erepere, ad quod Genuini ducunt Gradus *Pietas & Justitia.* Ergo jam non omnium Capitibus oscula impressi, & per consequens levis Ambitus; nam si unum quempiam osculo dignatus sum, cæcus fortasse tunc fui, cum Lex jubeat *Nemine contradicente Reges eligi:* Doleo ergò quòd oleum & operam & osculum perdidi, nam nec ille Meus Elector, nec ego certè Rex illius ero. Verùm hunc quoque unum monstrare, exhibere, Nomen proferre, confrontare. Videat illum orbis, & deducentem quod ait, audiat; Siccine ex Anonymis Justitia sententiat? Consideret quilibet veri & æqui tenax, utrum propter talia figmenta & aniles fabulas, Hominis ingenui, Honorem, vitam, Fortunas in discrimen ultimum deduci fas sit ac liceat.

Meræ nugæ.

In eodem additamento, crimini vertitur, quòd in partes Sacræ Cæsareæ Majestatis, legere voluerim quindecim millia Militum, & ab eodem recipere aliquot millia peditum, ad perficienda destinata Mea in quo convictus esse dicor, juratis eorum Testimoniis quos in eam Militiam adlegebam. Profectò mirabile est, nunc ipsum *velle* in Crimine poni: Olim scio in maturâ servitute *Verba* impunè erant, *Facta* puniebantur; at nunc novo modo (quod nec quidem Franciæ probaretur) etiam *Cogitata* Perduellionis arguuntur. Ergone Crimen fuit, Me cogitasse & voluisse Militiam profiteri adversus Communem Christianitatis hostem? an non id meliori animo præsumptum, quàm si de capto *Varadino* à *Turcis*, *Porta Othomanica* gratularer? Si ex Victoria Christianorum tristarer? Pacem cum Cæsarea Majestate initam famosis libellis proscinderem? Inite rationes gestorum Vestrorum ô Impii accusationis hujus & iniqui Judicii Motores, & pensate quis Nostrûm rectiore conscientiâ, egone ad talia cogitata, vel vos ad talia facta descenderitis? Non commemorabo per discretionem, datâ licet opportunitate, alia vestra Molimina, & pessimas practicationes, (quibus tempus aliquando larvam demet) vario obtentu ad convellendam pacem verorum Defensorum Fidei, nefariè adhibitas. Fateor Ego palam, quòd hac in parte voluerim pro posse commodare Rei Christianæ, incitus Avito quem è Majoribus hausi Domus Meæ zelo, & rerum ab eis gestarum gloriâ: Addebat magnum volenti calcar Ingratitudo individua Meritorum Meorum pedissequa, & certissimum ob virtutem impendens Mihi exitium; Volui idcircò, cogitavi, & optabile duxi prodire in hoc Theatrum, in quo Virtuti Honor & Gloria, Meritis præmia, Optimè gestis Gratitudo redonatur. Verùm illud effrons Mendacium est, requisiisse Me a Cæsareâ Majestate Peditatum destinatis Meis idoneum; Namque nullos adhuc eo Nomine tractatus inivetam, quos si aggressus fuissem, sensisset Patria è Meo hoc erga Christianitatem obsequio, non leve in Patriam quoque derivatum lucrum ac emolumentum. Cæterùm quia convictum Me juratis Testimoniis mendacissimè

Voluisse in Turcas legere Milites pro se quod Crimen?

Quanto pejus exultare ad Successus Turcarum.

Zelus contra Turcam.

Falsitas evidens.

cissimè imponit, quæso agnoscant Omnes detritum impudentis oris ruborem & patentem iniquitatem, *Dnus Oborski Sochaczoviensis Capitaneus* (prô dolor! tam Inclytæ Domus, Emeritique in Patria Patentis degener Filius!) testimonium perhibet, id ita se habere, seque ex relatione *D. Los* ista excerpsisse, contra cujus falsum testimonium produco dicti *D. Los* Literas in contrarium scriptas, quarum Authenticum pro temporis exigentiâ cuivis monstrabo, nunc copias Informationis gratia insero.

Magnifice Dne Capitanee Radomiens.

Domine & Frater Observantissime.

INiquissimè Magnificus Dominus Capitaneus Sochaczovien. *talibus me apud* S.R. Majestatem *aggravavit fabulis, quales ex literis* Dnis Vestræ, *seminasse illum intelligo: Si enim iter faciens, ad modicum spatium, domum illius diverti, profectò nullos cum eodem* Magnifico Dno *super negotiis publicis sermones miscui. Et specialiter quod asserit me retulisse de habitis per* Illustrissimum Dnum Mariscalcum Regni *pro parte* Sacræ Cæsareæ Majestatis *Delectibus, & quasi eadem* Cæsarea Majestas *deberet submittere* D. Mariscalco *ampliorem exercitum contra* Serenissimum Regem; *id nunquam ore meo excidit, neque hoc ex me* Magnificus Dominus *audiit, nec unquam dixisse me probabit, adeoq; malè & iniquè talibus figmentis nomen meum gravat. Quâ enim ratione ego hæc coram illo serere potui, quæ nusquam audii? Et cum* Illustrissimo D. Mariscalco *nec ante correspondentias aut contractam notitiam habui, nec ad præsens habeo. Magnifico Dno Capitaneo Sochaczovien. quamvis sangvine junctus sim, primus tamen tunc meus cum eodem fuit congressus, & parta notitia; quomodo ergo statim ad tales cum eodem descendere potui discursus? Subsit hoc trutinæ cujuslibet, quàm innocenter traducor, & hæc ab eo patior. Paratus ego sum Os ad Os loqui Magnifico* Dno Capitaneo, *& probare nunquam talia ex me audita, quæ inficiari non sine rubore cogetur; habeo enim congressus illius Testes, qui præsentes aderant, Generosos Dnos* Noskovvski, Karvvicki, Podhanski, *quibus audientibus palam, non privatim, colloquia miscebamus, non tamen in tali materia qualem D. Capitaneus simulat; nam ejusmodi etiam umbra procul tunc abfuit. Potuit* Magnificus Dnus *alio obsequiorum genere Gratiam* Serenissimi Regis *aucupari, non per tales fabulas, quas dante* DEO *cum pudore resorbebit. Præsentiam* Magnificæ Dnis Vestræ *alacriter expecto. Cujus me interim Gratiæ commendo. Makoviæ 14. Octobr. Anno 1664.*

Probatur literis D. Los.

Offert se os ad os loquuturum.

Turpis ass-sentatio.

Magnificæ Dnis Vestræ Frater & Servus
Alexander Los Pl.

EN habes convictionem hominum Juratorum! En illa Mea Crimina tam Crudelis Decreti Fulmen promerita! Misit quispiam alius Legatos Viennam, Misit Tarnovicium, nec tamen Crimini id vertitur; In Majori Polonia non modo cogitati sunt Delectus, sed de facto habiti, nec quisquam tamen Majestatis postulatur; Mihi soli cogitare etiam nefas, quod aliis facere impunè licet. Nisi fortè fuerit hic quoque actum sit artibus, & corripere simul plures, tutum visum; Unde dolus intervalla scelerum poscebat, suo tempore etiam illuc vibraturus sueta tela rabiei.

K Non

Non minus aliud processit à Tattareâ magis quàm humanâ Malitiâ, concinnati, in oppressionem Justitiæ, Mendacii compendium, Quod sciat *Polonia*, spectet quæso Orbis. Horret animus vel mente concipere scelus, quod tamen mihi impingitur, quasi verò Dicta Ebriorum Militum, (de quibus insinuatum superius) quæ illi, audiente *Admodum Rdo D. Stephano Lipski Præposito Jezoviensi* effutierant, ex instinctu Meo prolata fuerint, & hoc ita deducitur. (ubi notet obsecro quilibet impios Modos illaqueandi vitam, Fortunas, Honores Civium invisorum.)

Ebriorum Militum Crimen exhibetur a-lid.

Leopoli post factam per *R.D. Lipski* de præmissis Militibus relationem, agitatum fuit Consilium in conclavi S.R.M. per Officiales & Senatores Regni quosdam, qualiter in hac causâ procedi deberet; in quo consilio dicitur fuisse conclusum, ut Rei Judicio Confæderationis deferrentur, Me interim intervenisse & facinus extenuâsse, neve descenderetur in cognitionem & accusationem verbalis hujus injuriæ obstitisse.

Alterum argumentum sumitur à præcustoditione cujusdam Religiosæ Personæ in qua hæc verba continentur. *Dapifer Haliciensis fidissimus Marischalci Regni & ejus Machinationum Zelosissimus in Palatinatu Russiæ Promotor, id in confidentia quam habet ad eam personam retulit, quod supremus Regni Marischalcus tacitè Militem conscribit; adducta sunt illi in septembre sexcenta hasta, de quibus cum interrogaretur à suis confidentibus an non pauca essent? Respondisse fertur Marischalcus, non erunt pauca, modo mihi adducatis artifices qui eas allaborent; reperitur in meis sylvis tantum arborum conficiendis hastis idonearum, tantumq́ ferri, ex quo non modo cuspides hastarum, verùm & securis talis esse posit, quali in Anglia Regi caput amputatum est.*

Hæccine sunt Testimonia clara & evidentia luce Meridianâ clariora, qualia exigunt Jura de Condemnato in Crimine læsæ Majestatis vel Perduellionis? Fateor inprimis, quòd quemadmodum cohorrui ad solam mentionem *Anglicani sceleris*, referente *Patre Lipski*, ita in consilio secretiori Impia hæc verba detestatus sum: Non suasi nihilominus *S.R.M.* ut injuriæ suæ Justificationem à *Confœderatis* & *Suiderski* peteret, velut legitimam in eis recognoscendo Jurisdictionem; hoc enim pacto, *Majestatem suam Regiam*, & Reipub. Authoritatem Potestati Legibus damnatæ subjicere videretur; Sensi proinde ut suspenderetur negotium, ad solutionem Nexus, quo rescisso censui legitimo Judicio sistendos fore accusatos; quod Meum Consilium sequuti sunt plerique ex illo collegio Prudentes & Patriæ Amantes: ita enim Mihi Conscientia, ita Ratio conservandæ Auctoritatis Reipub. Legitimæque Zelus Justitiæ dictavit. Sed quæro abs te quisquis es Impietatis hujus Auctor & Motor, quo fine sub idem tempus, tàm ipsemet quàm per subordinatas personas solicitare ausus es *R.D. Lipski* ut me ad tam indignos sermones applicaret, velut Conscium & Auctorem? quod patet ex literis ipsius quarum hîc Copias tibi exhibeo, Authenticum cum videre placuerit, visuro.

Rectum consilium.

Illustrissime Dne Magne Regni Marischalce
Domine & Benefactor Colendissime.

Literæ R. D. Lipski pro innocentia D. Marischalci.

EXpostulat Celsitudo Vestra Mecum quasi ad causam Celsitudinis Vestræ aggravanter memet adjunxerim; *Unde quia forsitan Nuntius ejus rei non plenè informavit Celsitudinem Vestram, edissero factum.* Illam relationem

nem Meam super discursibus Militaribus, è Cohorte Colligata, quæ sub signis Illustris D. Caroli Potocki *merebat, quam* Leopoli *feci, induxit* Instigator Regni *in & contra* Celsitudinem Vestram; *quæ relatio Mea cum nullatenus culpet* Celsitudinem Vestram, *Miror qualiter aliena culpa in* Vestram Celsitudinem *est retorta? Utiq; adfuit* Celsitudo Vestra *præsens cum hanc relationem instituerem, potuisset persentiscere si quid culpabile retulissem; Et testor* Deum *ac* Celsitudinē Vestram, *quòd meo scitu vel permissu ne verbum in eadem debeat immutari, sed penitus ita, prout illam* Celsitudo Vestra *auribus suis excepit, subsistere teneatur hæc Relatio. Inducebat me (pro candore fateri cogor) certa Persona subtili persuasione, ut in hanc Materiam* Celsitudinem Vestram *involverem; & facti conjicerem culpam adhuc* Leopoli, *detrectantemq; arguebat (quò magis iterum confirmor non afficere relationem hanc* Celsitudinem Vestram) *formalibus hisce suis*, Acsi nihil Paternitas Vestra dixisset, quando hujus culpam in Marischalcum non devolvit; poterat autem securissimâ mente; habemus enim aliundè argumenta, ab illo rotum Confœderatos traxisse, & illum obtinendi Processus gratiâ in Angliam misisse: Unde enim Colligaris tantum intellectus adesse deberet, aut opportunitatis ad ineundas cum Exteris correspondentias. *Replicui me candidè secundum Conscientiam & veritatem retulisse quòd audiveram, nec licuisse quidquam amplius, vetante DEO & Conscientiâ apponere, quod aures meas notitiamq; fugit. Nunc quoq; licet vocatus hîc adsim, ad nullam contra* Celsitudinem Vestram *rancor depositionem, solùm petitum est à me, num quid uberius haberem ad informandam S.R.M. in hâc Materiâ relationis* Leopoliensis? *respondi me ne quidem ejus recentem memoriam habere, quod olim deposui; & ita deincepsi pace meâ fruor. Sciat verò velim* Celsitudo Vestra *& ita de Conscientiâ meâ persuasa sit, quod ignarus fingendi sim, & ita deponere cogerer, quia nihil mali de Celsitudine Vestra auditu vel notitiâ accepi, immò in plerisq; occasionibus, & nominatim cum essem à S.R.M. ordinatus ad latus* Celsitudinis Vestræ *Comes Ruthenicæ expeditionis, oculis percepi* Insignem Celsitudinis Vestræ Virtutem, Fidemque in Dominum, Charitatem in Patriam: *Hoc testimonium Patriæ, hoc Orbi toti perhibere teneor pro Conscientiâ Meâ, & integritate votivâ. Quòd verò attinet quasi deberem esse conscius perversorum adversus Patriam Consiliorum, quemadmodum ad consilia non specto, nec unquam interveni in ullas Publicas bonas vel malas Rationes, ita id tantum Patriæ tanquam caræ Parenti, aperire (si me requisierit) obligatus sum quod scio. Interim submissionem meam defero in Gratiam Celsitudinis Vestræ, Cujus maneo.*

Varsaviæ 17. Decembr. 1664.

Addictus & Humilis Exorator ac Servus
P. Stephanus Lipski S. R. M.
Secretarius Mpr

P.S. *Cum induceretur Causa* Celsitudinis Vestræ, *non adfui; unde genuinène vel secus inducta fuerit* Relatio mea, *nescio, & informare* Celsitudinem Vestram non possum. Audivi nihilominùs à quibusdam quòd non perimebat actionem, & ipsimet Patroni Causarum Celsitudinis Vestræ *id mihi declararunt.*

Quorsum ergo tunc in illo Consilio publicè proclamasti perversorum Architectc Molimìnum? *Benè factum quia hanc R.D. Lipski tenemus relationem, ut suo tempore Rex Serenissimus palàm faciat Orbi, edito Manifesto, coactum se vel invitum stringere gladium contra rebelles subditos pro defensione Majestatis.* Ergone jam tum coquebas animo Modos avertendæ Justitiæ, opprimendæ Innocentiæ, convellendæ publicæ Libertatis? & hæ artes jam olim Capiti Tuo, supremi Ministerii fumis attentato inerrabant?

Alteram Probationem paucis confuto. Religiosa illa Persona ignoscat mihi quæso, quod Mendacem eam non modo appellem, sed per omnia puncta probem; & per consequens Irreligiosam, nisi melius ad eum modum (quo R.D. Lipski tentabatur) corruptam. Scribit enim primùm: *Dapifer*

Fatetur se fuisse sollicitatum contra

Dat testimonium ejus Virtutis.

Seditiosa Concellarii Regni ... ad ... trahentis.

Fingunt Titulos ut fictas occul tent Personas.

Haliciensis fidissimus Mariscbalci &c. Quæro hic quisnam ille sit Dapifer, cum ex Nomine ac Familia non vocetur? præsertim cum sæpius contingat, quatuor, immò & sex Personis hæc Terrarum Officia ab Aulâ conferri? quo etiam fortassis obtentu, nomine ejusdem suppresso, titulum duntaxat allevisti, ut pro libitu posses, in casu convictionis, à Persona unius transilire in alium. Utcunque est, exhibe mihi in totâ *Haliciensi* Terrâ, qualemcunque Magistratum & Officialem, intimioris confidentiæ vinculo connexum, aut ad mutuas Correspondencias admissum, seu quocunque beneficio particulari obstrictum, ultrò victas porrigam manus. Sunt fateor illic quoque (prout ubique) per Dei gratiam Boni Mei & virtute Meæ addicti Amicis Correspondentem nullum, Clientem aut promotioni meæ obnoxium nullum illic reperies; Nunquam enim in usus privatos Rempub. flectere studui, nec factionibus Palatinatuum congressus, aut Generalia Regni Comitia scidi.

Adjungit aliud Mendacium; *Idem in confidentia retulit quòd Militem tacitè conscribit.* Revoca ad calculum tempus quo hæc acta sunt. Refers utique, in medio Septembres; jam interrogo, utrum conscripti & censi fuerint in Octobre, Novembre, Decembre, Januario, ? effudit ne illos uspiam Cadmæo partu tellus? & ubi stativa habuère? quo tractu incessère? quorum oculis subjecti fuère? hæc proba & legitimè demonstra. Verùm Delectus istius ingens te habere putas documentum; quia, inquis, *Adducta sunt illi sexcenta hastæ;* quid igitur inde sequelæ? num Me oblitus esse Campi Ducem? num ignoras alere Me binas Cataphractorum cohortes, ultra quadringentis hastatis constantes? & habere binos filios arma & Castra in obsequium Patriæ spirantes? Denique non novitium hoc Domus Meæ censeri, ut in ordinario Armamentario, bis vel ter hastarum numerus in casum belli compositus superet memoratum numerum? Cur non es per conctatus, utrum alibi tantundem earundem sarissarum non habeam? quæ utique semper elaborantur, & olim parabantur: Verùm hoc non est Poloni Equitis Crimen.

Miles qui lectus esse objicitur nusquam comparet.

Hastæ semper sunt in Armamentario nobilium quantò magis Ducis.

Sed superat omnia Tertium Mendacium, nocentissimo veneno inspersum; *De quibus* (inquit) *cum interrogaretur respondisse fertur:* Hic attentum quemliber posco, ad perpendendam rei consultò fabricatæ seriem. Inprimis *Religiosa persona* nõ nominatur, deinde *Dapifer* etiam vacuus Nominis, postremò nec *Religiosa persona* nec *Dapifer* audisse se allegat, sed inquinant *Fertur.* Itane Hominem totius vitæ inculpatum, & præclarè gestis conspicuum, fas est condemnare ex *Fertur.* Istæne sunt comprobationes & documenta ad condemnationem evidentia? O Bone DEUS! quomodo pateris hos Justitiæ (Tui nempe solii quod ad tempus hominibus credis) subversores? Itane vita Civium, Fortuna, Honor, pendebunt ex Delatione venalis cujuspiam linguæ? Ita capita nostra formidabunt imminentem sibi à coëmpto converse in vim palliatæque Justitiæ Teste, Ictum? Cur enim non productus ad causam iste bonus Dapifer? Cur non exhibuit illum, quo referente præmissa didicit? Cur in re tam gravi, summariè sine sufficienti inquisitione, ad nudam Ignoti, vel Ficti, Cujuspiam, qui hoc audivit à simili Quopiam delationem sententiatum? Non patiebatur credo Causa moram, ne Judicibus tempus ipsum velum ab oculis dimoveret; quia scelera impetu, bona Consilia morâ valescunt. Perpendat quilibet Enormem Injuriam Meam, & læsæ simul Justitiæ gravamen inauditum. Constat enimvero aliis minorum licet Criminum inculpatis, Rempub. Indulsisse congrua ad conquirendas defensas spatia; Ego solus tam præcipiti & tumultuario elisus sum judicio.

Quàm grave de Capite nobilis censeri ex incogn. teste.

Injquissime dilatio nõ data ad inquisitionem.

Subiit quondam Judicium ex dato sibi Regali Mandato *D Obuchowicz Palatinus Smolenscensis* pro eo quia nullâ *Moschovitica* impressionis vi accedente, cum sibi plura ad ulteriorem resistentiam supperterent Media, *Smolenscum* nobile Fortalitium temerariè hosti prodidit, ad quod Judicium formandum viginti sex (exceptis Senatoribus) ex Nuntiis Terrarum lecti sunt Deputati;

Quæ data D. Obuchowicz.

putati; ne tamen gravatum sese properatâ sententiâ Reus quereretur, ad plenioris Inquisitionis effectum, causa fuit in proxima Generalia Comitia dilata.

Subiit multò impari in Causâ dato pariter ad Comitia Regni per terminum tactum Mandato, Judicium D. Boratini, eique Criminis peculatus mota actio, ratione procusæ ultra mentem Reipub. Obolaris Monetæ; & hic tamen ex primis statim Decretale fulmen non sensit Terminis, quamvis circiter quadraginta Personæ, ex Equestri Ordine, Juramento præstito, Causæ huic discutiendæ intenderent; Tantus respectus fuit, ne quid justitia præcipitanter decerneret, & ne Citatus conquereretur de aggravatione, non tantum de injuria & Injustitia.

Me unum tam iniqua pressêre Fata, in negotio tanti Momenti, & apertissimæ Innocentiæ, ut promereri & impetrare nequiverim competens spatium, quo per Conscios Innocentiæ Meæ Testes, tunc temporis ab ultimis *Ukraina* limitibus accersendos, comprobare liceret circumventam Innocentiam. Verùm hoc Nocentissimæ Malitiæ fuit Opus & Lucrum.

CAPUT ULTIMUM.

Fraudulentus contra datum verbum per Mariſchalcum Equeſtris Aulæ explicatur Proceſſus, & in nominandis Deputatis in præjudicium Jurium ac Libertatum Dolus. Tum demùm brevis ad Nobilitatem ſuper ereptis Libertatibus inſtituitur Parænesis.

POsteaquam sufficienter respondi tàm ad Impium Mandatum, quàm ad ea quæ prætacta Impietas in suâ de violento hoc Judicio per Orbem disseminavit Informatione; progredior ad ipsam JudiciiFormam, & Iniquissimũ Processus modum. Ante omnia verò illud innuo, quod motus cautelis Bonorum Amicorum, tanta in caput meum fabricari Molimina præcustodientium, adhuc ante *Particularia Comitia*, quæ Generalibus præire solent, *dimisi per omnes Palatinatus Supplices Literas*, postulando ut Respublica Auctoritatem & preces suas pro parte Meâ ad S.R. Majestatem interponeret. Expertus sum Paternum Reipub. favorem, neque enim modo Nuntiis ad Generalia Comitia lectis seriò injunctum, ut negotii istius pacificationem, accedente *Regiæ Majestatis* Clementiâ, procurarent; sed è plerisque *Palatinatibus* anticipatè missi extra ordinem sunt Legati, deprecaturi Regiam Majestatem, ut Me non expectatis Comitiis in gratiam admitteret, nec in Judicium descenderet. Pares Legationes institutæ fuêre ad *Illustrissimum* quoque *Regni Primatem*; quæ tamen omnia, magis detrimento quàm opi fuêre, siquidem omnis illa Reipub. spreta est interpositio. Postquam verò deinceps Mandato ad initium *Particularium Comitiorum* promulgato citatus fui, nihil prætermisi quod ad contestandam sinceram *Regiæ Majestati* submissionem opportunum videretur: Scripsi & supplicavi per *Fratrem Meum Præfectum stabuli Regni*, per

Mittit supplices ad omnes Palatinatus libellos.

Illustrissimum D. Trzebicki Episcopum Cracovien. irrito semper eventu; tandem concinnavi supplicem libellum ad ipsummet Serenissimum Regem, quem attexo.

Serenissime & Potentissime Rex

Domine Mi Clementissime.

Supplex Epistola ad S.R.M. *ITa per omne tempus deservii* Sacræ Majestati Vestræ, *ut non modò opere, sed ne cogitatione quidem deliquerim contra* Regiam Majestatem Vestram, *sic Me Deus adjuvet; Agnoscebam Me etenim semper esse* Facturam Regiæ Majestatis Vestræ, *Domunculamq; Meam* Serenissimorum Regum Parentis & Fratris Antecessorum Regiæ Majestatis Vestræ *gratiâ, & benignitate, in tantum* Fortunis & Honoribus *auctam, ut nunquam rea tantorum beneficiorum, in Me expirare possit Gratitudo. Acceptabat Regia Majestas Vestra antea Clementer addictissima Mea obsequia; & digna censebat Confidentiæ Munificentiaq; tam eximiâ. Quo pacto in hanc inciderim S.R.Majestatis aversionem, quâ eum quem elevasti allidis, quem creasti annihilas, quem paulo ante posuisti in spectaculum Gratiæ, nunc prabes in Exemplum Iræ & Alienationis, scire nequeo, & scrutari non audeo. Supplico tantum S.R.Majestati ad pedes provolutus,* Non intres in Judicium cum servo tuo: Opus Manuum tuarum sum, *fac de Me Sacra Regia Majestas Vestra, tanquam Dominus de servo, tanquam Rex de subdito tanquam Formator de Creaturâ suâ Justitiam, illo tantum nomine Reâ, quia infelici, nec aliud crimen* (*Deum testem appello*) *in me recognoscenti.* Magna Innocentia humilitas. *Quod si ut Homo per inconsideratonem offendi aliquantum* S.R.Majestatem *Vestram, Dnum & Benefactorem Meum;* Mendico *humillimâ prece, prostratus ad genua Regiæ* Majestatis *Vestræ velis condonare errorem, & hac Benignitate Duce, quâ per totum clarescis orbem, Me ad Regalem Gratiam admittere. Datum Anno 1664.*

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ Dni Mei Clementissimi
Fidelis Subditus

Georgius Lubomirski.

SCripsi insuper & ad *D. Prazmovvski Cancellarium* Regni, quibus opprobriis post redditas literas Me affecerit, & quam indignum virtute Meritisq; Meis quasi responsum in publicum sparserit, (licet illud ego nec habuerim nec viderim) constat omnibus, & judicabit DEus, si talibus proscindi merui. Quemadmodum igitur insinuavi, nihilo per supplicationes relevatus, nihilo per recursum ad Proceres Regni adjutus fui. Inchoantur interim Comitia, instar Respub. urgent Terrarum Nuntii, quatenus ante omnia negotium

tium Meum accommodetur. Miſcer ex adverſo Aula, & literas quoque Meas intercipit, nec eas per aliquot dies, immò pænè hebdomadam Integram, ad Congreſſum Nuntiorum admitti ſinit; Auctore omninm præcipuo *D. Gninski Equeſtris tunc Aulæ Mariſchalco*, ad quodvis facinus, ubi emptor acceſſit, venali & prompto. Paucis complectar; deſpecta eſt totius Interventio Reipub. Mitto igitur deinceps Plenipotentiam ſuper Proceres ex Ordine Spirituali, ſuper duos è ſæculari Inſcriptam ac conditam, cnm plenâ eisdem conceſſa agendi facnltate; quæ quidem Plenipotentia, per *Generoſum D. VVoiakovvski Præmislien. Vellixiferum* reddita eſt ad manus *Illuſtriſſimi D. Primatûs Regni* in præſentia omnium, ſed parùm juvit; Nam cum dicti *Illuſtriſſimi Plenipotentiarii* expediſſent certos è Medio ſui ad S. R. Majeſtatem volentes mediare, acceſus ità *Sereniſſimus* ingratè Legationem ſuſcepit, & tractatus ſuper hoc inſtitui, aut loqui ſecum vetuit.

Agitatur in Comitiis cauſa.

Aulæ factiones Anteſignano Gninski homine perverſo.

Rex Plenipotentes indignanter accipit.

Bis deinde miſi abundantius Mandatum Plenipotentiarium ſine ulla reſtrictione in Perſonas, *D. Germani, & Filii mei, tum Generoſorum Vexilliferi Præmislien. & Notarii Caſtren. Cracovien.* emanatum, omnibus modis ambiendo Gratiam, & præ me ferendo ſubmiſſionem ad ſatisfaciendum S. R. M. Rejecta nihilominus omnia, Quia jam fuerat in Meam ruinam conſpiratum.

Succedit igitur Judicium, ante cujus formationem, prætereo quantæ fuêre ad ſingulos Terrarum Nuntios immò & Senatores circumcurſationes, promiſſa, ſolicitationes? quibus Modis Boni Mei Amici, & Virtutis Vritatisq; retinentes, avelli à partibus Meis tentati? Hæc enim omnia toti patent Reipub. ſiquidem adeò copioſâ erogatione, illices capiendis animis nummi tunc ſpargebantur, ut utraque Monetaria officina, tàm ad cudendos ex ære Obolos quàm ad Monetam Argenteam, valorem floreni Polonicalis referentem inſtituta ſufficere prodigæ largitioni in fundendis nummis hautquaquam valuerit. Nominat *primus iſte everſor Patriæ & Libertatum illius Cauponator Gninski*, tunc Nuntiorum Mariſchalcus, ad Formandum Judicium Deputatos, ſed animo ſtudioque ſibi concolores; qui non Meam modò Cauſam, verùm Deum ipſum Licitanti Aulæ, pretio favoris & Munerum addicerent: Contradicitur in continenti hiſce Deputatis ab iis qui Me & Rempub. ſalvam vellent; Perſiſtit tamen ille, & ratificare nominationem contendit, per ſua & Aulæ obnoxia ſubjecta; renitentibus ex adverſo bonis, ac reſcindi nominationem inſtantibus; donec Motus fremitu omnium, *dat Fidem & denuntiat, non ituros ad Judicia, nec ire poſſe, donec iteratò ſuper illis in pleno Nuntiorum congreſſu deliberatio inſtituatur.* Eſt autem ea natura Reipub. Noſtræ, ut ſine talibus Deputatis de Capite Nobilis Poloni cognoſci non poſſit.

Largitiones Aulæ in Nuntios.

Nominantur Deputati ad judicandum.

Reclamantibus Nuntiis.

Spondet Gninski ob ituros Deputatos donec iteratò deliberatio ſuper illis inſtituatur

Tum verò eò magis inſtâre Nuntii, ut totum hoc Menm negotium ſopiatur, & palam depoſcere, ut junctis communiter manibus turmatim *Sereniſſimum* adeant omnes ac deprecentur: Verùm nectit *callidus Gninski* moras, & ſui adhærentes, tam diu donec præfixa Judiciis dies adveniret. Cum igitur evidens pateret Oppreſſio, & implacabilis Pertinacia, In caſum ruentis jam Reipub. ſtatus intenta; eum prætetea in Eluſionem ac Protractionem *Ordinis Equeſtris* Moras necteret, & cuncta fabricaret *Mariſchalcus Gninski*, receſſit *ex Aula Nuntiorum*, factâ ſolenni Proteſtatione, *D. Zabokrzycki ſubjudex & Nuntius Palatinatûs Braclavienſis.* Ceſſare jam tum ſecundùm Diſpoſitionem Legum & Libertatum Patriarum debuit, omnis ſubſequens Comitiorum Actus, ſi vel Micam Avitæ Virtutis habuiſſet, Abortivus ille Matris Patriæ, jam tum Libertatibus mulctatæ, Partus, *Gninski Equeſtris Aulæ Mariſchalcus*, paritercj; alii Iniquiſſimi Judices, Patriorum Jurium ac Prærogativarum Propolæ: quod quivis recognoſcet & fatebitur.

Unus ex Nuntiis proteſtatur de nullitate Comitiorum & abit.

Poſt talem unius ex Nuntiis *D. Subjudicis Braclavien.* abſceſſum, fluctuat interno æſtu Equeſtris Aula, & plures Reipub. ſtatus reverentes ſiſti rerum curſum interim jubent, donec *D. Subjudex* ad Conſilium reinducatur: Et ecce illi

dolorum

Clam ad Judicia exeunt illi nulliter deputati, Contra datamFidem. dolorum artifex *Gninski* silenter præmonet eosdem illos, quos supra (ut dixi) contra mentem Nuntiorum omnium ipsemet nominaverat Deputatos, ut dissimulanter è congressu sese protipiant, atque ii mox furtim abscessêre, stante Controversiâ utrum ire debeant, & *Fide per Mendacissimum illum Gninski de non eundo interpositâ, sed fractâ*, Maximè verò *Lege vetante ad ullos post interpositam Protestationem Actus descendere.*

Noctu acclamatur Causa. Binæ jam noctis evolutæ fuerant horæ, cum cæpit *Iniquum illud Judicium*, & S. R. Majestas Causam Meam acclamari jussit, perq; Deputatos, quibus tota Equestris Aula contradixit, Juramentum præstari; quod illi non tàm præstiterunt quàm pejerarunt. Post factam causæ Meæ adcitationem, condemnor in Contumaciam, & Condemnata attestatur: ae Interim fervet & fremit *Equestris Aula*, multæque Contradictiones interveniunt, ac iterum post priorem abscessum subjudicis Praelavien. interpositamque per eundem Protestationem, alii quoque Nuntii Aulâ & Comitiis digrediuntur, & de nullitate Actorum protestantur: Continuat nihilominus orsam semel telam Gninski, & pariter sequaces illius Deputati continuant suas eltera injustissima Judicia sessiones, frementibus Omnibus Nuntiis Equestris Aulæ.

Nuntii plures abeunt & protestantur.

Propositio calumniosissima instituitur. Succedit Propositio, quam impudico, & Mendaciis fraudibusq; (his enim unà cum lacte Materno imbuti sunt artibus) assueto ore tam nimirùm *Joannes Tanski Instigator*, quam Vice-Instigator deblaterabant: nec erat qui afflictæ non compateretur veritati, Dum per omne nefas *Virtus, Integritas, Genus, Progressus, Acta, Merita, Officia mea*, effrenibus ventilarentur lingvis: uamq; in Me velut Lattonem venenatissima vibrabantur Contumeliarum spicula.

Factâ adeò gravaminosâ, & probrorum feraci Propositione, contendunt nihilominus Amici Mei flectere in molliorem sensum cuncta, & (tametsi è Diametro Juribus repugnantia formari cernerent) quoquo modo satagunt, ne Extrema sic etiam stantibus rebus attententur; Sed eludunt omnia Adversarii, præconceptæ Damnationis imagine absorpti.

Conditiones Iniquissimæ proponuntur in spemPacis. Tandem erumpunt cum his Conditionibus, quas Meamplecti volebant, ni rigorem ulterioris Judicii subire mallem; *ut nimirùm Regimen Exercitus abdicarem, ut Capitaneatum Cracovien. resignarem*, ùt *Poloniâ ad justum deinceps digressus tempus aditu illius abstinerem.* Indicatum mox Mihi fuit utrumque, videlicet tàm Propositio contumeliis adversus Me digestis tumens, quàm Conditiones iniqvum Judicium prægravantes. Initis Meeum rationibus, cum viderem nihil Me in tota vita commisisse, quo Meo ipsius Judicio factus nocens, velut approbato Crimine, pœnam à Me Ipso positis Officiorum Insignibus exigerem; cum præterea fideli Bonorum præmonitione firmaret, cos omnes tractatus hac intentione protrahi, quò faciliùs irretiri & opprimi quitem: ac denique patentissimè & ad oculum cernerem, quanto votorum æstu ad Meam *Aula* hiaret ruinam? Qualiter Testes coëmeret, & oblatis Muneribus ad Falsa Testimonia pelliceret? quomodo, eo demum ipso tempore, quo jam Scrutinium vel Inquisitio expediri debebat, Mandatum Mihi ad statuendos Testes intimari faceret? De eujus Intimatione vix aliquot tantummodo diebus, ante Terminum notitiam accepi, quod testimonio summorum virorum præsentium tunc *Janovecia* comprobare paratus sum. Cum super hæc vel ex ipsis agitatæ Causæ modis liquidò legerem effrenatam eorum in Me Malitiam, siquidem Instigatore contra Me buccinante, & Mendacibus testimoniis ac documentis Famam Virtutemque Meam lancinante, patebat omnibus aditus ad Aulam locumque Judicii. Replicantibus verò pro parte Meâ Advocatis, & Innocentiam deducentibus, exacti à subsellilis omnes qui aderant, vel aditu exclusi, *ne scilicet haberet Innocentia Mea Spectatores*, qui solutam in omne malum Iniquitatem, & Trucis commenta Malitiæ Diris devoverent. Ad hæc cum toto illo hactenus interlapso tempore, iterum aliquot Nuntii, factis Protestationibus, non modo Comitiali Aulâ, sed Varsaviâ quoque excesserint, & ad ea

Quæ uti iniquissime non acceptantur.

Præfigitur strictissimo ad scrutinium terminus.

ad ea ipsa Judicia (quo faciliùs, prout de Jure fieri debebat, abrumperentur) Authentica Protestatio D. Subjudicis Braclavien. porrecta fuerit.

Idcircò his præmissis,& obstante Naturâ Reipub. quæ obicem per Leges posuit, ne Judicium ulterius formaretur, quod tamen de facto formabatur, sentiens totum per meram geri oppressionem & Injustitiam, malui indefensam Causam omittere, & ab Actione recedere,eo paulisper relicto solatio anhelæ in ruinam meam Malitiæ,quod jam libere suos in Me consumeret impetus,& cum talibus ac tanta ardesceret in Me Malignitatis Conspiratio, atq; Senatu metu perculso,magis tyrannica Capiti Meo imminerent pericula, malui Voluntario Me ipsum Exilio à Domo & Dilecta Patriâ sequestrare. Recedit ab Actione ultrò. Et ipse cedit Patriâ

Prosequitur interea Judicium, *nullâ tot Huntiorum abeuntium tactus reverentiâ*, Impius ille fasciuatus Aulæ favoribus Mariſchalcus Gninski, Cæterique Deputati magis muneribus quàm Juribus addicti, (quorum Nomina & Cognomina par erat ad seram Posteritatem transmitti, sed quia hoc me labore exemit Instigator, qui eos uti illius Iniquitatis Principes, vulgato suo Processu,Orbis detestationi exposuit,actum agere nolo) donec tandem *Parturiit Injustitia Decretum & meam Convictionem*. Quâ perfectâ, quis edisserat, in quantos sese Plausus explicuit triumphabunda Malignitas? Quomodo sine morâ per *Gallias,Viennam, Berlinum*, per suos Emissarios dispersit hocce Decretum? Velut Captæ Libertati insultans: Et quod remoto obice opportunum ver nacta esset,quo *Gallica inter Sarmaticas nives efflorescerent Lilia*, Orbe toto jactans. Tandem condemnatur triumphante Aulâ.

Hîc jam obtestor quotquot sunt Patriæ hujus Cives, quatenus pensent hanc Iniquitatem,Proterviam,Judicia, continuata Comitia; Judicent quanta hoc ipso facto *Naturæ Statuiq; Patriæ & Ordini Equestri, quem Aula Nuntiorum repræsentat, illata Vis, Gravamen & Injuria*. Denique absque Inquisitione pro parte Mea expedita adeò immite promulgatum est Decretum; Ac tametsi Causæ Meæ Advocati peterent Justum ad statuendos Testes, qui in tam diversis quæ objiciebantur Punctis è diversis Poloniæ petendi erant oris, præfigi tempus,repulsa est postulatio,(cum tamen in tam arcto quod circumscriptum erat nullatenus conquiri potuissent.) Ad hæc Defensiones ac Documenta Mea rejecta, *Subordinati testes ad convincendum admissi*. Cujus facti evidens argumentum adduco *D. Romanovvski & D. Oltarzevvski resipiscentiam*. Iniquitas Judicii.

Extractum ex Actis Castrensibus Arcis Wlodimiriensis Anno Dni 1665. die 26. Januarii.

Coram Officio Castrensi in Arce Sacræ Regiæ Majestatis VVlodimiriensi, In Mei Alexandri Bialobrzeski Vicarii ViceCapitaneatus VVlodimiriensis Jurati præsentiam, & ad Acta præsentia Castrensia Vlodimiriensia personaliter veniens Generosus D. Alexander Romanovvski præcavendo Integritati Conscientiæ suæ contra Illustrem D. Hieronymum Radziejevvski, quàm primum à latere & obsequiis ejus avelli & Acta præsentia adire potuit, Manifestationem fecit pro eo. Quia D. Radziejevvski dictum Manifestantem protunc in servitute ad latus ejusdem remanentem in Comitiis proximè præteritis distractus circa causam ab Instigatore Regni, Illustrissimo Dno Georgio Lubomirski Magno Regni Mariſchalco & Exercituum Duci, Capitaneo Cracovien. ratione quasi læsæ Sacræ Regiæ Majestatis intentatam, ad Juramentum & deductionem eidem Illustrissimo Dno Mariſchalco variorum objectorum Criminum, coactus fuit à prænominato Illustrissimi Dno Radziejevvski ad præstandam Convictionem diversis qui in termino afferentur modis & rationibus, Quâ tunc Manifestans uti Dni suistante coactione Illustrissimum Dominum Mariſchalcum in objectis nullatenus sibi reum unicâ tantum accedente coa- D. Romanovvski resipiscentia ad Acta Vlodimiriensia.

ctione Juramento convicit. Elibrando igitur Conscientiam suam hanc contra Illustrem D. Radzieievuski interponit Manifestationem, & de pradicta sui ad convincendum coactione cum eodem Dno Radzieievuski, jure acturum se offert, salvâ sibi relictâ melioratione hujusce Manifestationis tàm in parte quàm in toto. Quod actis prasentibus connotari petiit & obtinuit. Cui hoc quoq, extractum sub sigillo Castrensi VVlodimiriensi est extraditum. Datum in Arce VVlodimiriens.

Christophorus Joannes in Kostrze Kostro
Notarius Castrens. VVlodimiriens. Correxit Lebedonicz.
Anno 1665. 30. Maji Extractum.

D. Oltarzevvski similiter spontenee ad Vartam.

E*Go infrascriptus recognosco prasenti scripto meo, quod tempore Comitiorum Anni 1661. vocatus Varsaviam per D. Hieronymum Radzieievvski, porrectum sibi ab illo scriptum contra Illustrissimum Regni Marschalcum, & ignorans contenta illius, coactus quodammodo subscripserim. Quod scriptum cum detrectarem subscribere, supranominatus D. Radzieievvski asseuravit me, scriptum illud non esse contra D. Marschalcum, & Innocentiam illius nullatenus afficere; sic itaq, seductus subscripsi, ignorans contenta illius, quemadmodum & nunc bonâ conscientiâ recognosco, quod non tantum illa contenta qua subscribere coactus sum, sed nil penitus tale quod Honorem & Innocentiam illius afficiat, unquam nota habuerim. Atq, hac recognoscere consulto & benevolè huc Partam veni ad supranominatum Illustrissimum Marschalcum obviando Indemnitati Conscientia sua. Recognosco etiam simili quoq, modo adactos per D Radzieievvski muneribus ac persuasionibus ipsosmet Famulos illius: quod certo me scire conscientia testor. Idem fecerunt DD. Suidersko, Jordan, Bartnicki & Orczepelski, & famulus illius ac Rendi Cancellarii VVysocki & Korlenski.*

Hieronymus Oltarzorski Mpr.

Bartnicki corruptus deponit contre sed dolosè.

BArtnicki verò qualiter ut deponeret emptus, ac deinde ut præferret animum revocandi quæ dixerat, dummodo sibi appenderentur sex millia Florenorum Polonicalium, subordinatus fuerit, novit tota Patria; hoc enim secum scitu & consensu S.R.M. fecisse ipsemet recognovit: prout composuerar de facto cum Meis, & in hanc consenserat syngrapham, cujus hîc copiam induco.

Eodem animo componit.

R*Ecognosco scripto præsenti, manu meâ subscripto, & sigillo roborato, quod tametsi ego dederim certa scripta, in vim attestationis ad causam* Illustrissimi Dni Marischalci Regni ac Exercituum Campiductoris, *ad Comitia moderna per Instigatorem Regni intentatam; quibus scriptis, non habitâ certâ & Authenticâ notitiâ, certos objectos* Illustrissimo Dno Marischalco *contra Rempub: quasi Excessus injustè approbavi. Ideircò quod scripta hac Mea contra* Illustrissimum Dnum Marischalcum *Regni data sint ex animo, ne loco & Functione Nuntii per nonnullas ad id subordinatas personas moverer; tum quod propter diversas alias (nisi facerem) Fortuna & Vita Mea impedentes minas, ac promissiones Nomine Regiarum Majestatum propositas à me sunt extorta & obtenta, & consequenter injustè data Recognosco; atq, ea qua illic scripsi incerta esse ac iniqua, & qua* Illustrissimi Dni Marischalci *Virtuti Reputationiq; prajudicare nequeunt, quodq, ad concitandos Militaris Nixus tumultus idem nullatenus influxerit, fidem facio; nec quidquam adversus Illustrissimam scio, & ab his qua comprobare non possum recedo, atq, id etiam in Aula Nuntiorum Terrestrium recognoscere paratus sum. Qua omnia non aliquo respectu sed fide & Conscientiâ adstrictus profiteor. Datum Varsav. 11. Decembr. Anno 1664.*

E*Go infrascriptus recognosco scripto meo præsenti, Quia sub tempus Comitiorum Anni Millesimi Sexcentesimi Sexagesimi Quarti cum vocatus essem* Varsaviam à Domino Hieronymo Radzieivvski, *oblatum ab eodem scriptum*

ſcriptum in & contra Illuſtriſſimum D. Supremum Regni Marſchalcum *compilatum, ignarus penitùs quid eodem contineretur, penè violento adactus modo, ſubſcripſi. Quod cum ſubſcribere detrectarem præfatus* D. Radzieiovvski *aſſecuravit me nihil ibidem contineri* Illuſtriſſimo D. Marſchalco *adverſum, vel* Illuſtriſſimi *Innocentiæ nociturum. Hac igitur aſſecuratione pellectus, quia Innocentiam dicti Illuſtriſſimi ſcriptum non afficiebat, cujus contenta ignoratim ſubſcripſi; Verùm nunc bonâ conſcientiâ recognoſcò, quod non modo nihil horum de* Illuſtriſſimo D. Marſchalco *compertum habeam, quæ violentatus ſubſcribere debui, verùm penitùs nihil ſciam unde Virtuti & Innocentiæ* Illuſtriſſimi *Labes attrahi poſſit. Unde eo animo conſulto deſcendi huc ad* Illuſtriſſimum D. Marſchalcum *ſub* Warta *degentem quatenus Conſcientiæ Meæ conſulerem ne periculo exponeretur, quod ultrò & benevolè feci. Recognoſco pariter quia ſimili modo atq; ego inducti fuêre à* D. Radzieiovvski, *per Donaria & ſolicitationes, proprii ipſius famuli, quod cum mihi certò conſtet, idcircò bonâ conſcientiâ recognoſcò. Idem fecerunt* D. Svviderski, D. Jordan, D. Bartnicki. D. Oszczepalski, *ejusq; famulus ac* Rendi Cancellarii Regni D. Wijsocki & Korzenski. *Scriptum ſub* Warta Anno 1655.

Hieronymus Oltarzevvski Mpr.

TAndem *Delator Dunin* indignus Nomine cui perennis ignominiæ ſtigma inuſſit, dum pejerare cunctaretur, Meque convincere; Primum *à Patribus Societatis Jeſu* exempto ſcrupulo, diſpenſatus, deinde numeratis aliquot florenorum millibus animoſior redditus, *non gravatè Manum ad Jusjurandum extendit, quam Præſes nummorum Pluto jam ſibi auro initiaverat.* Nec mirum quòd adeò facilè ad perpetrandum tantum ſcelus trahi potuerit, ſiquidem illi nullus honor fuit, ut ex præſenti pænâ peculatûs ſuper illo obtenta in Regni Tribunali Radomienſi conſtat, quam hîc appono.

Delator cum jurare nollet à Jeſuitis diſpenſatur.

Actum in Caſtro Radomienſi in Judiciis Tribunalis Radomienſis Conſtitutione Regni Conventûs proximè præteriti Varſavienſis, ordinatis Feria quarta ante Feſtum Sancti Thomæ Apoſtoli proxima Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quinquageſimo Octavo.

IN *Cauſa inter Generoſum Inſtigatorem Theſauri Regni, ex delatione Generoſi* Joannis Omiecinski *Commilitonis Cohortis Illuſtris & Magnifici Stephani de* Czarnce Czarnecki *Palatini Terrarum Ruſſiæ Actorem ab una; & Generoſos* Balthaſarum VVaſovvicz *Subjudicem Sandomirienſem, & Exactorem Radomien.*, Sebaſtianum Kochanovvski, Hieronymum Dunin *Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarium*, Adamum Kotovvski *Alioſque quosvis Acciſæ à primâ ipſius* Czestochoviæ *inſtitutione Exacto-*

res & eorum quosvis Succollectores, quorum Nomina & Cognomina idem Actor pro expresßis habere vult, parte ab Altera, Citatos per ipsos Accisa antiqua nimirum Laudo Czestochovi. constituta, & ad diem Conventus Particularis Relationis post Comitialis præfixam, nempe decimam sextam Septembris Anno præsenti currentē, per se ipsos percepta, neq; in Thesaurum Regni illationis, neq; Militib9 quibus juxta aßignationes ipsorum à Thesauro Regni eo nomine datas persolutionis, exindeq; pænarum ex præscripto Legum publicarum Succubuitionis, coram Judicio Præsenti Generali Tribunalis Regni Radomien. judicialiter mota & vertente. Judicium præsens Tribunalis Regni Radomien. ex earundem partium, Actorea videlicet Generoso Instigatore Regni personaliter, Citata verò videlicet Generosis Subjudice Sandomirien. & Sebastiano Kochanovvski suo pro interesse tantùm itidem personaliter comparen. & controverten. Quantùm attinet Generosum *Balthasarum VVoisonicz Subjudicen Sandomirien. &* Generosum *Kochanovvski, qui in causa præsenti suo pro Interesse comparent, decrevit iidem summam Accisa quantum pro suo Interesse spectat, ab initio exactionis sua, usque ad Comitia Regni proximi præterita collectam, juxta calculationem cum Thesauro Regni faciendam realiter & effectivè in Thesaurum Regni ad Manus exhibitoris Assignationis Illustris & Magnifici Palatini Rußia servientis in proximè ventura Commisßione Regni Lublinen. ad initium ejusdē in una Septimana ab Actu præsenti inclusivè computanda persolvant, idq; sub pæna peculatus. Qua in defectu Decreto præsenti satisfactionis jam ex nunc super iisdem per Judicium præsens decernitur. Et Ministerialis Regni Generalis quivis ad publicandam eandem pænam peculatus additur, causaq; ipsa cum toto suo effectu ad Loci seu locorum Capitane. eorumq; officia competen. sub cujus vel quorum Juridictione bona eorundem Citatorum consistunt, pro ultimaria & finali ratione præmissorum facienda, exeqvutione remittitur, terminusq; publicanda ejusdem pæna peculatus, in eadem Commisßione Regni Lublinensi per Judicium præsens Tribunalis Radomiensis conservatur peremptorius Decreti præsentis vigore.*

Porro pro Interesse Generosorum Hieronymi Dunin *Secretarii Sacra Regia Majestatis, &* Kotovvski *aliorum, proventuum præsatorum Reipub. antecedaneorum Exactorum, & eorum Succollectorum quorum nomina & Cognomina pro expresßis hoc loco*

censeri

censeri debent. Eosdem supra scripta pars Actorea ter & ultra Juris communis formâ, quarto per Ministerialem Regni Generalem Providum Joannem Zaleski de Zamlynie ad Judicium præsens Tribunalis Regni Radomien. *acclamare fecit. Qui quoniam nec per se nec per suos quosvis legitimos plenipotentes comparuerunt. Proinde eosdem in Lucro solutionis summæ respectu Accisæ ad manus suas perceptæ, idq; in instanti sub pœna peculatus admitten. Judicio præsenti judicialiter condemnavit, & hoc juxta Propositionem superius insertam. In vim autem Lucri modo præmisso in Contumaciam super prædictis Citatis Jure victis obtenti, Judicium præsens Tribunalis* Regni Radomien. *decrevit præsentibusq; decernit, Quatenus iidem Citati summam ratione accisæ ad manus suas perceptæ eidem Actori præsenti in instanti solvant & realiter numerent, idq; sub pœna peculatus, quæ in defectu Decreto præsenti satisfactionis jam ex nunc super eisdem Citatis & bonis ipsorum omnibus per Judicium præsens decernitur. Et Ministerialis* Regni Generalis *quivis ad publicandam eandem pœnam peculatus additur, Causaq; ipsa cum toto ejus effectu ad loci seu locorum Capitaneos eorumq; Officirem competens sub cujus vel quorum bona eorundem Citatorum Jure victorum Jurisdictione consistunt, ipsiq; in Personis suis, ubicunq; præveniri poterint, pro ultimaria & finali ratione præmissorum facienda exeqvutione remittuntur.*

Et his subinde Ministerialis Regni Generalis *Providus Joannes Zaleski de Zambynie coram Judicio præsenti personaliter comparens publicè ac per expressum recognovit, Quia ipse existens à Judicio præsenti deputatus supra scriptam pœnam peculatus modo præmisso super prædictis citatis & bonis ipsorum omnibus per Actoream partem obtentam hic in Castro* Radomiensi *ac extra Castrum in præsentiâ plurimorum ad eadem Judicia congregatorum altâ sua & præconica voce proclamavit, & ad notitiam omnium quorum interest deduxit. De quo eam suam relationem idem Ministerialis fecit.*

Nicolaus Podlodovvski
Capitaneus Radomiensis Mpr.



Correxit Grodzki Mpr.

L 3 Judicet

res & eorum quosvis Succollectores, quorum Nomina & Cognomina idem Actor pro expresſis habere vult, parte ab Altera, Citatos per ipſos Acciſæ antiquæ nimirùm Laudo Czestochovi. conſtitutæ, & ad diem Conventus Particularis Relationis poſt Comitialis præfixam, nempe decimam ſextam Septembris Anno præſenti currentē, per ſe ipſos perceptæ, neq; in Theſaurum Regni illationis, neq; Militib9 quibus juxta aſſignationes ipſorum à Theſauro Regni eo nomine datas perſolutionis, exindeq; pœnarum ex præſcripto Legum publicarum Succubuitionis, coram Judicio Præſenti Generali Tribunalis Regni Radomien. judicialiter mota & vertente. Judicium præſens Tribunalis Regni Radomien. ex earundem partium, Actorea videlicet Generoſo Inſtigatore Regni perſonaliter, Citata verò videlicet Generoſis Subjudice Sandomirien. & Sebaſtiano Kochanovvski ſuo pro intereſſe tantùm itidem perſonaliter comparen. & controverten. Quantùm attinet Generoſum Balthaſarum VVoiſonicz, Subjudicem Sandomirien. & Generoſum Kochanovvski, qui in cauſa præſenti ſuo pro Intereſſe comparent, decrevit iidem ſummam Acciſæ quantum pro ſuo Intereſſe ſpectat; ab initio exactionis ſuæ, usque ad Comitia Regni proximi præterita collectam, juxta calculationem cum Theſauro Regni faciendam realiter & effectivè in Theſaurum Regni ad Manus exhibitoris Aſſignationis Illuſtris & Magnifici Palatini Ruſſiæ ſervientis in proximè ventura Commisſione Regni Lublinen. ad initium ejusdē in una Septimana ab Actu præſenti incluſivè computanda perſolvant, idq; ſub pœna peculatus. Quæ in defectu Decreto præſenti ſatisfactionis jam ex nunc ſuper iisdem, per Judicium præſens decernitur. Et Miniſterialis Regni Generalis quivis ad publicandam eandem pœnam peculatus additur, cauſaq; ipſa cum toto ſuo effectu ad Loci ſeu locorum Capitane. eorumq; officia competen. ſub cujus vel quorum Juriſdictione bona eorundem Citatorum conſiſtunt, pro ultimaria & finali ratione præmiſſorum facienda, exequutione remittitur, terminusq; publicandæ ejusdem pœnæ peculatus, in eadem Commisſione Regni Lublinenſi per Judicium præſens Tribunalis Radomienſis conſervatur peremptorius Decreti præſentis vigore.

Porro pro Intereſſe Generoſorum Hieronymi Dunin *Secretarii Sacræ Regiæ Majeſtatis, &* Kotovvski *aliorum, proventuum præfatorum Reipub. antecedaneorum Exactorum, & eorum Succollectorum quorum nomina & Cognomina pro expresſis hoc loco*

cenſeri

censeri debent. Eosdem supra scripta pars Actorea ter & ultra Juris communis formâ, quarto per Ministerialem Regni Generalem Providum Joannem Zaleski de Zamlynie ad Judicium præsens Tribunalis Regni Radomien. *acclamare fecit. Qui quoniam nec per se nec per suos quosvis legitimos plenipotentes comparuerunt. Proinde eosdem in Lucro solutionis summa respectu Accisæ ad manus suas percepta, idq; in instanti sub pœna peculatus admitten. Judicio præsenti judicialiter condemnavit, & hoc juxta Propositionem superius insertam. In vim autem Lucri modo præmisso in Contumaciam super prædictis Citatis Jure victis obtenti, Judicium præsens Tribunalis* Regni Radomien. *decrevit præsentibusq; decernit, Quatenus iidem Citati summam ratione accisæ ad manus suas perceptæ eidem Actori præsenti in instanti solvant & realiter numerent, idq; sub pœna peculatus, quæ in defectu Decreto præsenti satisfactionis jam ex nunc super eisdem Citatis & bonis ipsorum omnibus per Judicium præsens decernitur. Et Ministerialis* Regni *Generalis quivis ad publicandam eandem pœnam peculatus additur, Causaq; ipsa cum toto ejus effectu ad loci seu locorum Capitaneos eorumq; Officirem competens sub cujus vel quorum bona eorundem Citatorum Jure victorum Jurisdictione consistunt, ipsiq; in Personis suis, ubicunq; præveniri poterint, pro ultimaria & finali ratione præmissorum facienda exequutione remittuntur.*

Et his subinde Ministerialis Regni Generalis *Providus Joannes Zaleski de Zambynie coram Judicio præsenti personaliter comparens publicè ac per expressum recognovit, Quia ipse existens à Judicio præsenti deputatus supra scriptam pœnam peculatus modo præmisso super prædictis citatis & bonis ipsorum omnibus per Actoream partem obtentam hic in Castro* Radomiensi *ac extra Castrum in præsentiâ plurimorum ad eadem Judicia congregatorum altâ sua & præconica voce proclamavit, & ad notitiam omnium quorum interest deduxit. De quo eam suam relationem idem Ministerialis fecit.*

Nicolaus Podlodovvski
Capitaneus Radomiensis Mpr.



Correxit Grodzki Mpr.

JUdicet ergo quilibet an ad Delationem tanti Infamis Delatoris rectè condemnatus sim; siquidem cum ejusmodi hominibus, etiam conversatio, per Leges vetita sit, ipsoque facto conversantes cum Infamibus Infamiam incurrunt, quod ex dispositione Legum nostrarum deduxissem, si praesens extractum, ante datum ad praelum opus ad manus meas pervenisset.

Ad extremum Impii victores hostes Mei, non contenti illâ direpti Honoris, profanatæque Virtutis & reputationis Meæ Victimâ (tametsi apud omnes bonos ac Mundum Universum, favente Deo, Ringentibus Pseudoministris, ac favente Malitiâ, optimè audio) non contenti Opimis Fortunarum Magistratuumque meorum spoliis, & lato tam iniquo (quod ne nomen quidem tale meretur) Decreto: Editis insuper Universalibus, Omnes Virtutis Innocentiæque Meæ gnaros, & hanc eversæ Justitiæ Catastrophen miserantes, abstrahere à Me coacti sunt, ne esset quispiam Civium, qui oppresso Civi congemeret, qui agonizantem Libertatem supremis lacrymis prosequeretur, qui, circumvento & in præceps impulso manum porrigeret; id enim inter nova Crimina numerandum severis, verùm illegitimis, Edictis vetitum.

Apostrophe ad Nobilitatem cujus Causa agitur. Iteratò igitur Mundum universum obtestor, recognoscat tantam Iniquitatem, adhibeat Oppresso compassionem. Obtestor vel maximè Dominos Fratres, præsertim Equestris Ordinis, quandoquidem Proceres Regni, seu malè informati, seu Metu (qui nunquã ante in Liberâ gente valescebat) adacti, seu Aulico quopiam fascino illusi, ad Mea subsidia concurrere detrectarunt; saltem ii adesse Oppressæ Meæ Innocentiæ, sed multò magis Patriæ à fundamentis & cardinibus cõcussæ, jamque sub jugum missæ velint, & auxiliatricem præbeant manum. Nullius res magis agitur, quam Ordinis Equestris & Avitæ Libertatis; quæ jam ultimo agone conflictatur, quando *Vocis Libera* Prærogativa, omnibus aliis Mundi Prærogativis ex æquo correspondens, exspirat ac extinguitur. Quando mecum simul, eodem quo Causa Mea fato, *Equestris Aula*, cum illâ metuendâ Regnantibus libera Obnuntiatione deperiit. Quid enim amplius Nobilitas speret? Posteaquam ante Comitiales Legationes Datæ in Instructionibus supplicationes; Interpositæ per Nuntios preces, ac deinde publicæ circa Meam Patriæque Causam Obnuntiationes, dedignanti S. R. M. oculo exceptæ ac contemptæ sunt?

Vox Libera extincta per Aulam.

Alius olim Regum Poloniæ Mos. Profectò non ea fuit Antecessorum Regiæ Majestatis regnandi ratio; Nam si quando illud efficere conabantur, quod dispendium Patriæ, incommodumve Privati cujusquam saperet, intervenientibus subditis, submittebat sæpius Majestas Fasces suos, cedebantque Dominantes Precantibus, & destinata, fixaque Mentibus Consilia Patriæ donabant; quin immò Publicas Injurias, & indignos Majestatis Fulgore excessus, instante Repub. & interdum solâ Innatâ suadente Clementiâ (quod in illo Actu Rokosz vocato, ac detestando Piekarski ausu satis patuit) indulgebant.

Qui multa precante Repub. donabant.

Non favit par successus Mihi, quamvis ne umbram earum Injuriarum attingenti, immò omnis penitus noxæ experti; Non potuit habere pondus supplex, sed proculcata, Reipub. Auctoritas; fortassis ideò quia profuturum ad Cæteros jaci ac formari expediebat Exemplum, ut Metus subditos coerceret, & Forma deinceps restringendæ Reipub. in promptu esset.

Confidit etiam de Senatorum cõversione. Nulli ergo magis incumbit hæc obligatio atque *Equestri Ordini*, ut socialibus animis & viribus suscipiant justam Patriæ tutelam, quam Degeneres Filii, dum turpiter externæ Potentiæ lenocinantur, prostituunt: Verùm *nec de Illustrissimis Dnis Senatoribus* spes præcisa; nam & hi moti ejus Ordinis, è

quo

quo pullulârunt Alacritate,jungent sua cum Nobilitate studia, & redibit illis in præcordia virtus: Nam & in illos eadem quadrare potest ferula; *Hodiè Mihi,Cras Tibi*,eo præsertim atteuto,quòd cum ad dandas adversus Me sententias inducerentur,tertoris hoc magis fore judicium, quàm animadversionis, ferebatur,& tam immitis tigor procul omninò à phantasiis eorum supprimebatur.

Applaudunt Libertati Nostræ & gratulantur Exteri: Cur ergo domi patimur eandem Nobis *Muliebri* manu eripi? Patimur *Fœminam* Liberis Capitibus insultare,& hunc Pretiosum *Liberæ Electionis Thesaurum*, per ambitionem *Reginalis Majestatis, ut sangvis ejus Thronum Nostrum occupet, iisdemq; artibus atque ipsa regat*, prædæ exponi? Egregiis sane gradibus sangvinem suum ad Sarmaticum solium evehit! *Per Ruinam, Exilia, Persecutiones Civium*, & vix non *Cædes*! Hæccine sunt futuri Regiminis Omina, Hæc Successionis Auspicia,& Pignora Benignitatis? Quibus illiciis pertrahere Patriam ad inducendum Novum Successorem volunt. Ambitio Reginæ causa malorum. Pulchrè illicit ad promovendam suam neptim.

Miratur hîc Orbis, mirantur Exteri, cum vident *Illam Nostram Gentem adeò Liberam*, & totam suam in Libertate Maximam reponentem, pæne jam *arbitrio Muliebri mancipatam*, sinere tanta in Civem exeri Crudelitatis exempla,nullo alio præcedente Reatu, nisi impeditæ *Liberæ Electionis*; quam quia Ego per artes iniquas,conservando *Jura Patriæ* & *Statuta*, perfici non permisi, ad hoc deveni quantæcunque Civis Fortunæ Infortunium, ut exteras vagari per Gentes,& ab illâ Patriâ exulare cogar,cui toties providi, ut in eadem securi Cives conquiescerent. Electionis causa patitur.

Verùm minus Me affligit Exilium, dummodo florentem Patriam, & in suis Juribus ac Libertatibus redintegratam audiam. Nec verò sinistra interpretatione traducat eadem Malitia hunc Meum sub Protectionem *Sacræ Cæsareæ Majestatis* recursum, quasi in præjudicium Patriæ, statusque illius ac *Liberæ Electionis* exptum: Avertat Deus hos Cogitatus! Patebit cum tempore Æquanimitas Cæsareæ Majestatis, & addictus Reipub. huic animus, ad nullum suum (prout spargunt Invidi) interesse respiciens.

Et quia in hac Patria lucem hausi, in hac per continuos pro bono illius labores senectam attigi,pro hac dilecta Parente infortunia ista attraxi, & fero nullâ Meâ culpa, solâ Adversariorum premente Invidiâ,& præcipue incumbente Mihi *Sacræ Reginalis Majestatis odio*, cujus ambitui repagula posui. Idcircò precor eandem Patriam, succurrat Mihi. Star pro Mea, immò ipsius Patriæ,parte Æquitas; Nam status illius convulsus, immutatus,pessundatus; Equestris Ordo ejusque *Vox Libera*, quam Nuntiorum quilibet repræsentat, sublata. Quid ergo amplius Patria speret & prospiciat? quando adhibitæ toties ejusdem Interpositiones, tanto contemptu repudiatæ sunt ac despectæ? Sola superest spes, Ratio & Salus unica, Agonizanti jam succurrere Libertati, nec permittere eandem strangulari ac perimi in Mea Persona. Jam palam derisi sumus, & Jocis proscindimur,vulgante Aula *Emi posse centum millibus Imperialium Poloniam*; Nobilitatem domi dies suos insedere,nec quidquam amplius curare; Senem alium, Ægrum alium,vel enervem delicatulum quieti & otio intendere. Per DEum! agitur de Gloria à Majoribus Nostris accepta, & Patriis Libertatibus; Circumfluebant iisdem omnibus bonis, quibus & Nos redundamus,Carissimi Majores Nostri; Par Nos quoque premit Obligatio, ut eadem posteris præstemus Nostris. Precatur in Patria; Suspectat Orbis; Præstolantur Exteri; Ego oppressus Innocenter anhelo & suspiro. Iterum adhortatur Cives ut provideant Libertati. Aula despicit Nobilitatem, & ejus de Nobilibus voces.

Quicquid

Protestatur quod omnia bona fide scribat

Quicquid autem ad Manifestam Innocentiæ Meæ, ac Iniqui hujus Mecum Progressus deductionem scribo, precor æqui bonique quilibet consulat: Ita, nec aliter, omnia sunt gesta; His initiis orta, ac tandem funestæ Oppressionis Catastrophe conclusa, quæ exprimente dolore Orbi effundo: Plura prope diem ad evidentem Iniquissimi Judicii manifestationem daturus, dum ejusdem Judicii Formam, Processum, Involucra, Dolos, pensiculatè pandam, & illud Juri omni Rationique, sed potissimùm Legibus Patriæ adversum, meritoque æternâ Infamiâ perstringendum ostendam.

Scio non defuturam sibi Malitiam, Meumque hoc Manifestum novis impugnaturam scriptis; (hæ enim suetæ sunt illius occupationes, famosis libellis, quibus alienam laceret integritatem impallescere) conabitur illa sub obtentu Majestatis conficta Mendacia sua palliare, & notoriam Iniquitatem sub tegmine Innocentiæ, aspectibus Orbis exhibere; Verùm fucata sunt hæc omnia, & verbis speciosa, re inania. Ita & non aliter res se habuit & habet, prout ad Notitiam Orbis deduco. Deum appello Testem, quia omnia & singula Animo integro & bona fide profero

Nec credendum Contrariis utpote fictis.

DEO, PATRIÆ, CIVIBUS, BONISque Omnibus.



Protestatur quod omnia bonâ fide scribat

Quicquid autem ad Manifestam Innocentiæ Meæ, ac Iniqui hujus Mecum Progressus deductionem scribo, precor æqui bonique quilibet consulat: Ita,nec aliter, omnia sunt gesta ; His initiis orta, ac tandem funestæ Oppressionis Catastrophe conclusa, quæ exprimente dolore Orbi effundo : Plura prope diem ad evidentem Iniquissimi Judicii manifestationem daturus, dum ejusdem Judicii Formam, Processum, Involucra, Dolos, pensiculatè pandam, & illud Juri omni Rationique, sed potissimùm Legibus Patriæ adversum, meritoque æternâ Infamiâ perstringendum ostendam.

Nec credendum Contrariis utpote fictis.

Scio non defuturam sibi Malitiam, Meumque hoc Manifestum novis impugnaturam scriptis; (hæ enim fuetæ sunt illius occupationes, famosis libellis, quibus alienam laceret integritatem impallescere) conabitur illa sub obtentu Majestatis conficta Mendacia sua palliare, & notoriam Iniquitatem sub tegmine Innocentiæ, aspectibus Orbis exhibere ; Verùm fucata sunt hæc omnia, & verbis speciosa, re inania. Ita & non aliter res se habuit & habet, prout ad Notitiam Orbis deduco. Deum appello Testem, quia omnia & singula Animo integro & bona fide profero

DEO, PATRIÆ, CIVIBUS, BONISque Omnibus.

